



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Disputatio Theologica Contra abominandum Missæ pontificiæ sacrificium

Heerbrand, Jakob  
Mylius, Georg

Tübingæ

VD16 H 1030

[urn:nbn:de:hbz:466:1-36549](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-36549)






Th. 956.

D<sup>~</sup>

351









DISPUTATIO  
THEOLOGICA

Contra abominandum Missæ pontificiæ sacri-  
ficium,

*Hieronymus Hannigund Vuarburg. Professor*  
DEO OPTIMO MAXIMO AVSPICE

AVTHORE ET PRÆSIDE IACO.

BO HEERBRANDO, DOCTORE ET PRO-  
fessore S: S. Theologiæ in Apostolica & Orthodoxa Aca-  
demia Tubingensi:

M. GEORGIUS MYLIVS AVGVSTANVS, EC-  
clesiæ Augustanæ ad D. Annam minister publicè, prosum-  
mo gradu in Theologia consequendo, re-  
spondebit.

Novembris 20. hora 7. in Aula noua.



Tubingæ, Apud Alexandrum Hockium.  
M. D. LXXIX.



DISPUTATIO  
THEOLOGICA

Controversia de ...

...

DEC. OPTIMO ...

AVTHORE ...

BOBERGARD ...

M. GEORGIVS ...

...



...

...



# NOBILITATE SA- PIENTIA, VIRTUTE, ERVDITIONE,

et pietate prestantissimis, D. Iohanni Heintzelio septemviro, et D. Iohanni  
Matthæo Stamlero Senatori, Aedilibus Ecclesiasticis Reipub. Augustanae,  
Patricijs, optime de Ministerio, Rep. et Studijs, meritis,  
Dominis suis obseruandis.

Iacobus Heerbrand D.  
S.

**M**ultis quidem et varijs modis, hostis ille Dei, et hominum acer-  
rimus milleq; artifex Sathan, semper hinc à mundo condito Eccle-  
siae, caedibus, persecutionibus sauisimis, mendacijs, erroribus,  
falsis dogmatibus sparsis, opinionibusq; prauis hominum animis  
instillatis, est insidiatus: quod omnium temporum historiae testan-  
tur, et Saluator noster dulcissimus, paucissimis est complexus verbis, cum ait:  
Ille mendax est et homicida ab initio.

Sed vix scio, an illo vnquam alio modo maiorem Ecclesiae cladem intule-  
rit, quam coenae Dominicae prophanatione horrenda, in Missa pontificia. Idq;  
tum facere coepit potissimum, cum Ecclesiae pax data esset sub pijs Imperatoribus  
et profligatis haereticis, depugnatum esse videretur. Ibi tum, cum iam pace fruc-  
rentur pulcherrima, aucti honoribus et opibus, ocio abundantes, securiores  
facti, Episcopi dormientibus hominibus Sathan minime dormiuit, sed in omnes  
ocasiones intencus, extrema tentauit, et in agrum Domini Zizania sua semina-  
uit, excoctatis et cumulatis cultibus, de ingenio humano confectis. Ibi superstitio-  
num et errorum semina, antea sparsa, quae pullulare coeperant, in imensum  
creuerunt, atq; ita inualuerunt, vt ijs Ecclesia non immersa tantum, sed tetris  
erroribus, qui tanquam diluuium inundauerunt, planè sit obruta.

Vt verò de alijs omnibus quam plurimis, adeoq; innumeris propemodum  
iam taceam: de coenae Dominicae prophanatione tetra et abominanda, turpissi-  
maq; non vno solum modo facta, in praesentia dicam. Iam enim panem magicè à  
se, mirisq; hystrionicis gesticulationibus consecratum, et dicitur includentes repo-  
suerunt et adorandum prostituerunt. Iam verò magna pompa circa oppida  
pagos et agros, vt ea contra hostium incursiones, vim ignis, et tempestatum in-

A ij iurias



## Præfatio.

inurias custodiat, circumgesserunt. Non secus ac olim Perse sacrum suum ignem, quem Orimafda, hoc est ignem sacrum vocauerunt, Deum esse putantes, maxima cum pompa, Regi procedenti, equo albo super aram impositum, præferabant. Iam verò ut sacrificium verè propitiatorium, pro peccatis viuorum & defunctorum, ut horum animas ex ficto, platonico & poëtico liberarent igni purgatorio, in Missa priuata obtulerunt. Hoc autem Gregorio pontifici Rom. eius nominis primo, cognomine magno, acceptum ferendum est potissimum, quem id à spectris Diabolicis didicisse obscurum est minime, nec ipse dissimulat, multorum apparitiones, quæ animas defunctorum se esse mencebantur, recensens, quas in purgatorio esse, poenasq; peccatorum exoluere, i psis narrantibus fidem bonus & simplex vir habens, iudicauit: easq; iam in thermarum caloribus defus-

Greg. Dialog. lib.

4. Cap. 40.

Ibidem Cap. 51.

Ibidem Cap. 55.

Nota imposturam  
Sathanae, scenæ  
infernantis.

Wann es nicht  
war were / wer  
wols es erdenz  
den.

dantes: Iam verò in glaciei grumis frigentes, aut etiam corporum per medum seclorum, partem vnam igni cremari, altera intacta relicta. Iam in balneis niuis strare, seq; iuari & liberari oblatione hostiæ siue panis consecrati petentes, describit. Sicut fabulam narrat haud illepidam, quam tamen veram putauit esse historiam, de quodam in balneo seruiente, qui inter alia, presbytero cuidam valde officiosè suam præstiterit operam, qui officijs talibus delinitus, tandem de honorario cogitârît, & panes duos consecratos ei mercedis loco attulerit: quibus, miser ille, agnitis, mæstus responderit: Mibi illa quare das pater? Iste panis sanctus est. Ego hunc manducare non possum. Ego enim quem vides, huius loci Dominus aliquando fui, sed pro culpis meis, huc post mortem sum deputatus. Si autem mihi prestare vis, omnipotenti Deo, pro me offer panem sanctum, ut pro peccatis meis interuenias, & tunc exauditum te esse cognosce, cum huc ad lauandū veneris, & me minime repereris. In quibus verbis disparuit, & is qui homo esse videbatur, euanescendo innotuit, quia Spiritus fuit. Idem verò Presbyter, hebdomada continua se pro eo in lachrymis afflixit, salutarè hostiã quotidie obtulit: & reuersus post ad balneū, eū minime inuenit. Hactenus Verba Greg. Vbi addit. Qua ex re, quātū pro fit animabus immolatio sacra oblationis ostēditur, quando & ipsi mortuorum Spiritus à viuentibus petunt, & signa indicant, quibus per eam absoluti videantur. Sicut ibidem in immediatè sequentibus aliam haud dissimilem historiam siue fabulam potius, de suo quodam Monacho, Iusto nomine quæ excommunicauerat recenset: cuius animam Gregorius, quod in communionem uiuens, tres aureos occultatos habuisset, in purgatorio esse post mortem, pronunciabat. Postea ubi aliquandiu ibidem purgatum iudicabat, ex eodem: triginta Missarum



## Praefatio.

farum lectione & oblatione corporis Christi liberatum, ipsummet Monachum  
iustum, alij cuidam fratri, Copioso, apparuisse, & hæc retulisse scribit. interrogatus enim iuxta Gregorij mandatum, absolutis illis triginta diebus continuis Missæ  
celebratione, sacrificijq; oblatione, quomodo haberet? Respondisse cum: Nunc  
vsq; malè fui, sed iam modò benè sum, quia hodie communionem recepi. Et tan-  
dem concludit: Idcirco CREDO, quia hoc tam aperte cum viuentibus, ac nesci- *Ibidem Cap. 57.*  
entibus agitur, ut cunctis hæc agentibus, ac nescientibus (alij enim apparuerat,  
alius verò Missas istas celebrauerat) ostendatur, quia si insolubiles culpæ non  
fuerint, ad absolutionem prodesse etiam mortuis, Victimæ sacræ oblationis pos-  
sit. Hactenus Gregorius:

Vbi videre est, quæ artes sint Sathane, quam subdole & callidè ac fraudu-  
lenter cum hominibus minus attentis agat, quibus modis se insinuet, ut fidem sibi  
faciat: quo factio non fenestra modò, sed ianua illi est aperta, quod Gregorio mi-  
nimè Gregorio i. Vigilanti, sed hac in parte dormitanti, accidisse videmus. Ne-  
quaquam enim animæ fuerunt defunctorum, quæ apparuerunt, sed spectra Dia-  
bolica. Vnde enim adductus Gregorius, hæc, ut scribit, credit? Quia scilicet pro-  
fessi sunt apparentes? Atqui Apostolus inquit: Nolite credere omni Spiritui, sed *1. Ioan. 4.*  
probate Spiritus, hoc est, Doctores, num ex Deo sint. Vnde verò probandi? Ex  
ipsa sacra Scriptura, num videlicet Scripturæ S. Analogæ dicant. Etiam olim  
hoc ipsum Dominus verbo suo cauit: Ne quæras à mortuis veritatem. Sed ad  
legem potius. Num pro viuis ad mortuos? Verùm ut Scripturam iam taceam,  
poterat Gregorius ille bonus pater, id, vel ex Chrysostomo discere. In hæc enim is *Deut. 18.*  
verba scribit: Quod verò immolatorum hominum animæ ipsis aruspibus co- *Isa. 8.*  
operentur, vnde mihi persuadebitur? An quia ipsos dæmoniacos clamare non- *Chrysost. in Cap.*  
nunquam audisti: ANIMA HVIVS EGO SVM? Verùm hæc quoq; o- *8. Math: Hom. 29*  
ratio à fraude & deceptione Diabolica est. NON ENIM ANIMA DE- *Eadem ratio est*  
FUNCTI EST, QVÆ ISTA DICIT, SED DÆMON, QVI *exorcistarum.*  
HÆC AVDIENTES VT DECIPIAT, FINGIT. Et paulò post. Qua-  
re veterum hæc verba temulentarum ducenda sunt, & puerorum terricula-  
menta. Nec enim potest anima à corpore suo separata in his regionibus errare.  
Iustorum enim animæ in manu sunt Dei. Peccatorum verò post hunc exitum,  
continuo abducuntur. Quod à Lazaro & diuite planum efficitur, & c. Vide  
ibidem plura in hanc sententiam.

Et tamen hæc origo est Missarum pro defunctis, hoc fundamentum sacrificij  
Missatici. Hæc lex & Propheta. Non quidem è scriptura S. S. sentit, peti-



## Præfatio.

is testimonijs, nec ex cœtæ Dominicæ institutione à Christo facta, orti. Nihil enim horum à Christo dictum aut factum: sed ex meris Diabolorum spectris & apparitionibus, figmentis & mendacijs in superstitionem versis, que paulatim incrementa sumpsit, donec tandem cento iste tanquam pallium mendicorum, ex quamplurimis lacinijs & panniculis consutum, à diuersis pontificibus Roman. quorum singuli aliquid (sicut Chlichtoneus quoq; scribit) addiderunt, Missa ista Romana prodijt. In eum planè modum, quo Hesiodus Pandoram suam describit, à Dijs iratis, quorum singuli aliquid contulerint, formatam, & postea in peccaticiem generis humani protrusam.

Superstitionem de Missa scholastici Doctores, quos custodes synceræ Religionis & cultuum esse oportebat, non modo confirmârunt, sed auxerunt etiam (ut iam à successoribus eadem acerrimè defenditur) sicut Thomæ extat impia sententia in libello cui titulus est, de Sacramento altaris (etsi hunc libellum alij Alberto Magno tribuunt, sed parum refert, quisquis impietatis huius sit author) secunda, inquit, causa institutionis est, sacrificium altaris, contra quandam quotidianam delictorum nostrorum rapinam. Ut sicut corpus Domini semel oblatum est in cruce pro debito originali, sic offeratur iugiter pro nostris quotidianis delictis in altari: Et habeat in hoc Ecclesia munus ad placandam sibi Deum, super omnia legis sacrificia, preciosum & acceptum.

Ad superstitionem postea accessit quæstus, conferendis ditioribus, à summis usq; ad infimæ sortis hominibus, opes regias, quibus ornauerunt & munierunt  
Dan. 27. Deum hunc suum, Maxime, cum quo fornicati sunt Reges, Principes, Comites,  
Apoal. 18. Barones, Nobiles, Ciues, Rustici quicquid corrådere potuerunt, malè persuasi,  
Iob. 19. contribuentes, ut suas suorūq; ex purgatorij pœnis maximis, redimerent, & liberarent animas, lugubre (ex Iobæ mutuatis verbis) Vociferantes: Misere mini mei, misere mini mei, vos saltem amici mei. Quo enim magis multiplicabantur

Magister sentent. Missæ, eò citius misellas animulas ex igni isto liberari fingebatur. Vnde Magister sententiarum, & post hunc Albertus Magnus, scribere non sunt veriti  
lib. 4. dist. 45. & affirmare: In hoc meliorem esse conditionem diuitis, quam pauperis: quod  
Albert. Mag. de officio Missæ in purgatorio diues pluribus possit iuuari suffragijs & hinc celeriolem con-  
Tract. 2. cap. 16. sequi absolutionem quam pauper.

littera K. O Crudeles nimium pontificios, si vera esse credunt, qua scribunt, loquuntur & docent de pœnis purgatorij & liberatione animarum ex eodem per Missarum celebrationem: Quod non Pauperum quoq; habent rationem, nec illa tanguntur commiseratione, qua eos ex cruciatibus istis, vigilijs suis.



## Præfatio.

fuis, & Missis quotidianis, etiam sine precio, cum facile adeo possent, liberant. Sed redempti estis, inquit Princeps Apostolorum non corruptibilibus auro vel argento, sed precioso sanguine agni immaculati Iesu Christi: Et idem iterum Simon Magus, (a quo pontificij Simoniaci, cum Missa sua simoniaca, precio auri & argenti diuendita) pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem, quoniam, donum Dei existimasti pecunia possideri. Verum iam Simonia hæc passim in toto regno pontificio dominatur, non solum in Missarum nundinationibus quotidianis, qui questus est maximus: sed per omnia inualuit, ut in taxa Romanae curiæ est videre.

1. Pet. 2.  
Act. 8.

Et accesserunt aliæ quoque prauæ ac superstitiosæ opiniones. Iudicatum est enim, Missam esse Panacem, quam herbam esse aiunt ad omnis generis morbos depellendos remedium idoneum. Ita Missam quoque contra mala omnia medicinam presentissimam, sicut & de multis alijs rebus Missæ celebrantur. Extant enim & leguntur Missæ pro mortalitate hominum, Missa pro febricitantibus, Missa pro illo qui morti est proximus, Missa pro amico uiuente, Missa pro nauigantibus, Missa de tribulatione B. Virginis Mariæ, Missa de quinq; doloribus B. Mariæ Virginis, Missa de præputio Christi. Missa de quinq; vulneribus Christi, Missa de lancea & clauis Christi, Missa de spinea ipsius corona. Missa de quatuordecim opitulatores. Et quis singulas enumeraret Missas? Ut enim rem omnem hanc, latissimè aliàs patrem, in pauca contraham, & vno verbo cõplectar: in Missali Cõstantiensi, quingentæ circiter ordine recensentur Missarum diuersissimarum formæ, ad quas omnes & singulas, Deo Opt. Max. istorum adhibentur & offeruntur opinione, corpus & sanguis Christi: quæ nos ipse accipere, & manducare, minimè verò offerre Deo instituit, & præcepit, in hunc finem, ut morte eius beneficia parta, prædicemus, eaq; nobis, edentes & bibentes applicemus.

An non igitur ingens hæc est peruersitas & cecitas? sed quid dico cecitas? Imò sacrilega & execrata cœnæ Dominicæ prophanatio & impietas? Et quid Idololatria est, obsecro, quid Sacrilegium, si Missa pontificia non est? Propter quam dubium est minimè, toti Deum irasci Ecclesiæ, eamq; Turcico miserè tyranno dilacerandam obijecere, dum finem isti missandi non faciunt, quantumuis illustribus Scripturæ S. S. impietatis suæ conuicti testimonijs. Ideoq; Deus ipse surgit, Missasq; per ministrum iræ suæ, & flagellum hoc, Turcicum tyrannum, vastatis & in potestatem suam reductis regnis, & prouincijs, abrogat. Nec melioris fortune, aut victoriæ spes est vlla, nisi isti Missas suas missas faci-



## Præfatio.

Jerem. 44.

ctant. Quod enim magis magisque Missas Pontificij celebrant & multiplican-  
tibus Deum (ut opinantur) placent, eò magis ad iram eum execratis istis sa-  
cris, quibus offenditur & irritatur, concitant. Non secus ac olim gens Iudaica  
instituta & multiplicata in omnibus locis & angulis, contra expressum Dei  
mandatum, sacris, quibus pacem, fertilitatem terræ, & sclicitatem omnem ad-  
scripsit, iram Dei poenarumque publicas voluit auertere, quibus ipsis eam magis  
prorucauit, donec non solum decem tribus Israel, Verumetiam Iuda tandem in  
captiuitatem propter studia & sacra sua abduceretur, frustra clamantibus Pro-  
phetis. Sicut Ieremias inquit: Nunquid non sacrificium quod sacrificastis in ciui-  
tibus Iuda, & in plateis Hierusalem, vos & patres vestri, Reges vestri,  
Principes vestri, & populus terræ, HORVM recordatus est Dominus, & a-  
scendit super cor eius, & non poterat Dominus ultra portare, propter mali-  
tiam studiorum vestrorum, & propter abominationes quas fecistis. Et facta est  
terra vestra in desolationem, & in stuporem & in maledictionem, eò quod non  
sit habitator, sicut est dies hæc. Propterea quod sacrificaueritis idolis & pec-  
caueritis Domino, & non audieritis vocem Domini, & in lege, & præceptis,  
& in testimonijseus non ambulaueritis. Idcirco euenerunt vobis mala hæc,  
sicut est dies hæc.

Sicut postea in hac eadem gente, Christi vnico verè propiciatorio peracto  
sacrificio, cum pontifices & Sacerdotes Hierosolymitani, à sacrificijs suis, iam  
tum per Christum abrogatis, abstinere offerendis ad doctrinam Apostolorum,  
nollent: Deus regno eorum euerso, templo destructo, politia & gente Iudaica  
deleta, & abiecta, finem ipse sacrificijs illis tandem imposuit.

Hæc planè vtraque verissimè de Missa pontificia dici possunt: sed isti non au-  
diunt, quemadmodum nec Iudæi, qui experti hæc, quam credere maluerunt.  
Ideoq; idem prorsus fatum, Germaniam propter Papatus Idolatriam tetram,  
multiplicem ac horrendam Missæ pontificiæ abominationem, manere metuen-  
dum est: ni Deus propitijs precibus piorum motus, propter nominis sui glori-  
am, & quia alibi Ecclesiæ hospitia præbet: hoc malum & poenas Idolatriæ  
meritas, à cervicibus nostris auerterit. Sunt enim verè pij columnæ mundi, qui  
iræ Dei sese murum opponunt: ut Prophetæ vtar verbis.

Quæ cum ita habeant, monstrum hoc & Idolum pontificium, Missam dico,  
& argumenta, quibus eam Romani pontificis satellites quoquo modo sta-  
bilire



## Præfatio.

bilire conantur, hac Disputatione debellare & refutare suscepi. Quia enim de genere Esau homines feroculi, & malè feriat, orbi Christiano falsis eam enco-  
mijis, integumentis, pigmentis, fucisq; meretricio palliare, ornare, venditare, &  
obtrudere non cessant: fucum istum, & laruam detrabere, Pandoram istam nu-  
datam omnibus ob oculos spectandam proponere visum est.

Non ignoro autem hæc ab Esauitis, satellitibus & patronis Antichristi Ro-  
mani (quod neruus sit regni Pontificij Missa) improbari, vehementissimeq; di-  
splicitura, & cum alia obijcere, tum in uersione videntes vociferari: Præcursores  
nos esse Antichristi, qui Iuge in Ecclesia sacrificium, de quo Daniel olim sit va-  
ticipinatus, abrogemus.

Scire itaq; velim istos, aut si nesciunt discere, Iuge illud sacrificium nihil ad  
Missam facere pontificiam, quod hæc abominatio illa sit, de qua idem Propheta  
prædixit, collocanda in loco sancto, hoc est, in Ecclesia.

Iuge verò sacrificium in lege & populo Dei, duo fuere agni anniculi, manè  
& Vespere quotidie & iugiter (vnde iuge dictum est sacrificium) in holocau-  
stium Domino oblato. Quod igitur Daniel Antiochum hoc prædixit abrogaturū:  
Synecdoche est, præcipua & principali parte, pro toto cultu & omnibus sa-  
crificiorum speciebus, quas omnes tyrannus ille cum lege, ceremonijs, circumci-  
sione, ciborum mundorum & immundorum (vt in lib. Machabæorum est vi-  
dere) discrimine &c. sustulit.

Hæc autem Veteris Testamenti sacra, non Missæ pontificiæ, sed vnicuique verè  
propiciatorij sacrificij Christi (qui in cruce victima factus est, pro totius hu-  
mani generis delictis) typus (teste Scriptura sacra) fuisse. Vnde & ab Esaia, &  
à Baptista, Christus, agnus ille Dei dicitur, qui tollit peccatum mundi. Isa. 53.  
Ioh. 1.

Deinde, in nouo Testamento cultus externus est, & præcipuus, qui etiam  
suo modo Iuge dici potest sacrificium Ecclesiæ: Ministerium externum, & præ-  
dicatio Euangelij de Christo, eiusq; meritis & beneficijs, quo Ecclesia care-  
re non potest, sed perpetuò & iugiter in illa sonet necesse est. Vtrumque hoc  
Antiochus ille, Romanus Antichristus ex Ecclesia tollere, impia sua, prophe-  
na & blasphemata Missa, doctrina item falsa & peruersa de operum pro-  
prietate satisfactione, & traditionibus humanis, opposita, quibus merita &  
beneficia Christi passione & morte parta imminuit, doctrinam & prædica-  
tionem Euangelij obscurat, virtutem baptismi, votorum Monasticorum præ-  
conijis eneruat, verum cœnæ Dominicæ usum per Missaticum suum sacrifi-  
cium euertit, preces fidei, ad idololatriam mortuorum hominum inuoca-  
tionem



## Præfatio.

tionem detorqueat &c. Hocq; modo Antiochus ille tyrannus Syriacus, Romanæ Antichristi seuius, titulo pastoris (lupus cum sit rapacissimus) in Ecclesiâ Christi grassantis eamq; persequentis, quam olim illè gentem Iudaicam, typus fuit. Vtroq; enim modo, & vi externa, flamma, flumine, ferro, sine: & falsis dogmatis fanaticisq; opinionibus, erroribus ingentibus, iisdemq; multiplicibus: Idolomania tetra, & abominanda in Christi ouile, eiusq; Ecclesiæ membra pia, crudelissimè seuit. Sed de hac tota causa & negotio in ipsa Disputatione copiosius.

Vobis autem Viri Clarissimi, Domini honorandi, nuncupare Disputationem hanc volui, vt testimonium extet publicum consensus in doctrina Religionis nostræ sinceræ mutui, eiusdemq; confessionis, quæ annos ab hinc quinquaginta circiter, in publicis illis totius Imperij Comitij frequentissimis Carolo V. in vestra patria est exhibita, vnde & nomen sortita est, & retinet, quod Augustana dicitur confessio: quæ ita Scripturæ S. S. testimonijs solidis munita est & confirmata, vt portæ inferorum aduersus eam non præualeant. Esi enim hæcenus multi multa contra eam sint conati, Sathanq; ipse hostis eius nulle artifex ille intentum reliquerit nihil, quo eam subuerteret, Sophistia, calumnijs, mendacijs innumeris, corruptelis varijs fraude, dolo, vi manifesta, alijsq; artibus malis, hinc ab illo statim tempore, quo edita est, ad hunc vsq; diem non cessans, Deo tamen propicio inuieta manet, manebitq; perpetuò, vicunq; ille cum suis squamis seuiat. Quia verbum Domini, & veritas eius manet in æternum. Hanc & in vestris publicè sonare templis, eandemq; in Schola hac nostra, & Ducatus huius Ecclesijs conseruari illibatam, gratis agnoscamus animis, ingens, imò summum hoc Dei prædicantes beneficium. In primis verò consensum istum pulcherrimum, & harmoniam suauissimam inter doctores & auditores vtrinq;. Quod rarum Dei beneficium Spiritus ipse S. tanti æstimat, vt peculiari, & quidem dulcissimo carmine, pulcherrimisq; figuris ac luminibus orationis descripsit, & commendavit, ecce (canens) quam bonum & quam iucundum, fratres habitare in vnum. Sicut unguentum quod descendit à capite in barbam Aaron. Sicut ros Hermon. &c. Quoniam illic Dominus promisit benedictionem, & vitam vsq; in seculum:

Deinde vt publicum quasi, & honorificum de vobis bonorum extaret iudicium: quod magna animi contentione, cura, vigilantia, vero pietatis zelo, non tamen absq; scientia, aut cæco animi impetu (vt ab vtraq; parte quidam) sed recto iudicio, veritatem ex verbo Dei agnitam, puramq; & incorruptam Religionis



### Præfatio.

gionis sincere doctrinam, promouere, eamq; ad posteritatem, pro virili vestra propagare studeatis. Quod multi pij facile agnoscunt, & grati prædicant. Nec alijs peregrinis opus est hac in re testibus, quod res satis loquatur ipsa.

Postremo, vt etiam vobis, Viri sapientissimi, pro vestro honorifico de Schola nostra iudicio gratias agerem, quam tanti facitis, vt non dubitatis filios vestros, charissima pignora, sicut & Reipub. vestre, & priuatorum etiam ciuium & patriciorum, verè Mecœnatum, alumnos, quos plurimos nullis parcemes sumptibus, etiam peregrinos liberaliter in studijs fouetis: ad hanc potissimum mittere, nobisq; instituendos commendare. Cuius vos consilij pœnitere viros sapientissimos, nō puto, cum exculti literis, pietate, & sincera Religionis doctrina instructi, domum redeant: quorum deinceps vsus, in omnibus Reipub. vestre partibus, & Ecclesia multiplex est & maximus, quibusq; ornamento sunt & præsidio.

Qualis est ciuis, alumnus & Minister Ecclesie vestre, venerandus, egregiè doctus, magnisq; diuinitus ornatus donis, Dominus Magister Georgius Mylius, Theologie candidatus, qui à multis iam annis familiariter mihi est notus, quiq; in meo diu fuit conuictu: quem vt vobis commendem, opus esse minime iudico: cum seipsum vobis satis hæcenus, & quidem à puero semper, & iam in Ministerio Ecclesie annos octo commendauerit.

Deum eternum Patrem Liberatoris nostri Iesu Christi, tota animi contentione precor, vt hæc ornamenta Ecclesie, & vos in honestissima vestra statione, honestissimoq; proposito, (cum alijs pijs Magistratibus, qui Ecclesie eius hospitalia præbent, suisq; eam fouent officijs) clementer protegat: quo bral non consequamini à Christo Agonotheta propositum, ipsiusq; sudore & sanguine paruum, immarcescibilem glorie coronam. Quam nobis tribuat in illa die iustus Iudex, qui vt nos in statione nostra, vbi aduenerit nos euocaturus, inueniat vigi-


lantes, faxit per Spiritum suum sanctum, cui cum patre honor sit,

laus & gloria in sempiterna secula, Amen. Da-

ta Tubingæ, 24. Nouemb. Anno

1579.







DISPUTATIO  
CONTRA ABOMI-  
NANDVM MISSÆ PONTI-  
ficiæ Sacrificium.

QVÆSTIO.

**A**N Missa pontificia, in qua offerre se iactitant sacrificuli, corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sub speciebus panis & vini, sit verè propiciatorium sacrificium, pro peccatis viuorum & mortuorum, alijsq; necessitatibus. Hoc enim *ἁγιόγραφον* est, inter nos & Romanenses.

Propositio Prima.

1. Pontificij affirmant. Sic enim verba concilij habēt. Docet sancta synodus, sacrificium istud (Missæ) verè propiciatorium esse, &c. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens *Concil. Trident. Sess: 22: cap. 2.* crimina & peccata etiam ingentia dimittit, &c. Et iterum: Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in mei commemorationem: Christum non instituisse Apostolos *Ibid. Can. 2.* sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi alijsq; sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum anathema sit, & *Ibid. Can. 3.* ibidem: si quis dixerit Missæ sacrificium, tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, non autem propiciatorium, vel soli prodesse sumentis: Neq; pro viujs & defunctis, pro peccatis, pœnis, satis factionibus, & alijs necessitatibus offerri debere, Anathema sit.
2. Nos verò pernegamus, tale sacrificium in coena vltima,

B tina,



tima, vel alibi in S. S. à Christo institutum, vel ab Apostolis & in primitiua Ecclesia obseruatū aut celebratum.

3. Hinc enim, ex prima nempe cœnæ dominicæ institutione testamentaria, tanquam ex fontibus, & propria huius materiæ sede: & non aliunde, ex peregrinis locis obscuris, & allegorijs, vel cōiecturis potius, quàm argumentis vndecunq; collectis & corrasis, probatio petenda est. Nam sicut in alijs quoq; fidei articulis, præcipuisq; doctrinæ cœlestis partibus, necesse est, perspicua, & firma habere testimonia, & argumenta, quæ arte nulla everti, aut eludi possint, & quidem in singulis materijs, ex sedibus proprijs, sumenda: Ita in hac quoq; de Missa Disputatione, ex institutionis cœnæ dominicæ verbis. Sicut orta lite de Testatoris voluntate, ex verbis Testamenti ea colligitur.

4. Apud nullum verò Euangelistarum, sicut, nec apud Apostolum Paulum, qui se à Domino accepisse testatur, quod Corinthijs tradiderit, quicq; cōcordes omnes, actū illum describere, legitur: Christum in cœna illa sua vltima, non communionem solum cœnæ Dominicæ, in qua corpus & sanguinem suum Discipulis suis vescendum & bibendum dedit, instituisse: Sed etiam, sub speciebus panis & vini, Deo patri cœlesti, pro totius mundi peccatis se obtulisse: vtcq; hoc alijs postea in Ecclesia facerent, præcepisse. Hoc autem nisi probetur hinc, de Missa pontificia Ecclesiæ Romanæ, quam pro sacrificio verè propiciatorio venditant, actum est, & conclamatum: Nec aliud erit quàm figmentum humanum & abominatio coram Deo, horrendaq; sacratissimæ cœnæ illius Dominicæ prophanatio, in barathrum inferni damnanda.

s. Non



5. Non sunt enim, cultus multò verò minus Sacrificia propitiatoria, humana audacia, instituenda, iuxta illud: Quod ego tibi præcipio hoc tantum facias Domino Deo tuo. Nò addas quicquam. Et Christò: Frustrà colunt me, docentes doctrinas hominū. Et ibidem: Omnis plātatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Vbi Saluator noster dulcissimus ex professo agit de cultibus, & traditionib⁹ humana audacia confictis, quæ Deus in Ecclesia tanquam Zizania euelli vult, & eradicari.

Deut. 4. 12.

Matth. 15.

6. Omnium verò minimè ferre potest Deus violationem Testamenti filij sui vnice dilecti. Cum enim nec Testamenta hominum mutare liceat: Multò magis ingens scelus est & piaculum, Christi Testamentum mutare, vel superordinare, vt loquitur Apostol⁹. Christus autem non sacrificium instituit in sua cœna propiciatoriū. Nec enim ipse in ea se sacrificauit, aut obtulit Patri suo cœlesti, incruento modo, neq; vt alij id facerent, mandauit. Horum enim prorsus nihil illic habetur.

7. Manifesta sunt verba Institutionis, vt ab Euangelistis & Apostolo descripta sunt, quid nempe Christus in cœna dixerit & fecerit ipse, quidq; faciendum nobis præceperit. Accepit enim panem eumq; discipulis suis dedit, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, vel traditur: Similiter & calicem, postquam cœnauit, gratias egit, deditq; discipulis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic calix Nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis funditur: Vel vt alij habent: Hic sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

Lucæ. 22.

Matth. 26.

8. Hic nemo adeò stupidus est, qui non intelligat, quid

B 2 fit



## DISPUTATIO CONTRA

sit & in significet, gratias agere, panis, corpus, vinum, sanguis, accipere, dare, edere, bibere, facere, meminisse, omnes, multi, Discipuli: quæ verba in institutione primæ cœnæ habentur, quorum tamen nullum omnino significat Missam, vel sacrificium, aut oblationem Deo patri cœlesti factam, vel faciendam.

9. Quod si igitur verba institutionis cœnæ Dominicæ vel saltem obiter inspexerimus, vel etiam examinare probe voluerimus: nullum certè inuenimus sacrificium, quo vel Christus seipsum in ea Deo patri cœlesti obtulerit: vel Discipulis fuit offerendum se præceperit sacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum. Nihil tale verba præ se ferunt. Non enim Deo Patri cœlesti obtulit se se, suumq; corpus & sanguinem, Sed Discipulis suis dedisse comedendum, non autem offerendum scribitur. Sicut nec patrem alloquitur in ea, sed cum Discipulis sermo ipsi est, his dat, qui & accipiunt, verum non vt offerant, sed vt edant & bibant ex eo omnes, sicut Lucas habet, diuidite inter vos. Et biberunt ex eo omnes, & quidem hoc eos facere præcipit, quod tum in cœnâ faciebat ipse, idq; in sui commemorationem.

3. Cor. 317

10. Hoc itaq; modo cœnæ Dominicæ institutio est ab ipso Christo facta, ab Euangelistis tribus, & Apostolo Paulo descripta, in Ecclesia primitiua ita obseruata & celebrata, vt iam est demonstratum. Nulla prorsus oblationis vel sacrificij mentione facta.

11. Non autem duas vel cœnas vel actiones diuersas, in vna & eadem cœnâ instituit: cœnæ videlicet vsum & communionem pro Ecclesia & Laicis: Missæ autem sacrifici-



MISSAM PONTIFICIAM.

sacrificiū & oblationem, pro sacrificulis, quod ex institutione cœnæ prima, docendum est istis.

12. Sacrificium, præcipue propiciatoriū est, in quo Deo aliquid tribuitur & offertur, propter quod placatus, remittat peccata.

13. Tale vnicum est Christi sacrificium verè propiciatorium, non autem incruentum. Si enim talea liquid Christus in cœna obtulisset Deo patri sub speciebus panis & vini, non opus fuisset Christum postmodum pro peccatis nostris sanguinem suum fundere, & mortis acerbissimum subire supplicium. Absq; sanguinis autem effusione, nulla fit peccatorum remissio.

14. Necesse ergo est Missam cruentum esse, si verè est ut isti prædicant, propiciatorium sacrificium. Quia nullum propiciatorium sacrificium est incruentum. Quod si cruentum est, Christus non tantum semel per sanguinem proprium ingressus est in sancta. Si verò incruentum est, non est eiusdem substantiæ, cum sacrificio crucis. Est enim substantia & fundamentum sacrificij crucis, Christus iram patris in se deriuans, suum corpus ad illam placandam in mortem tradens, & sanguinem suum profundens.

15. Et semel per proprium sanguinem intrauit in sancta Christus se ipsum obtulit, amplius non offerri, sicut nec mori potest: per proprium sanguinem introiuit in sancta, æterna redemptione inuēta. Est *προσφερωμενικὸν προσφύμενον* hoc est sacerdos offerens, & ipsa oblatio, sufficiens, absoluta & perfecta, qua vnica in æternum consumauit sanctificandos. Hæc proprietates est huius victimæ. Aliæ victimæ offeruntur ab alijs. Hæc victima, id est Christus, non nisi à se ipso offerri potest. Men-

Heb. 9. 10.



16. Mentuntur igitur sacrificuli Missatici, cum dicunt à se Christum offerri. Repetunt namque non debet nec potest Sacrificium Christi. Argumentum enim hoc esset imperfectionis sacrificij illius. Sicut Apostolus ad Hebræos argumentatur, sacrificia veteris Testamenti, quotannis oblata & indelinenter, nunquam perfectos facere potuisse accedentes, vel auferre peccata, Alioquin cessassent offerri: Hic autem, inquit, (Christus) unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

17. Et ubi est peccatorum remissio, non est amplius pro peccatis oblatio, sed cessant sacrificia. In Nouo autem Testamento, plenaria est remissio, & expiatio peccatorum omnium, per Christi mortem parta. Ergo non est opus propiciatorij Missæ sacrificijs.

18. Et non est idem sicut sceleratè mentiuntur isti, Missæ & Christi in cruce oblatum sacrificium: sed ingens inter hæc, multiplexque est discriminè, multisque modis differunt.

19. Differunt Autoritate, Sacrificium Christi, æterno Dei decreto factum est & oblatum: Missæ verò pontificium, verbo Dei prorsus caret, & ab hominibus, suggerente Diabolo, est excogitatum, & in Ecclesiam inuectum, odio illius, ut isto oblitterato vero, & unico propiciatorio, hocque ablato Thesauro præstantissimo, carbones substituerentur, & priuarentur homines beneficijs, morte Christi partis.

20. Differunt Personis: Illic Christus, segregatus à peccatoribus Patri se suumque corpus & sanguinem obtulit in odorem suauitatis, quo ita delectatus est, & placatus pater cælestis, ut omnibus vera fide Christum Mediator



rem agnoscētibus, & corpus & sanguinem eius in coena, tanquam illius beneficii sigilla ad fidei confirmationē, sumentibus: remittat peccata ex gratia, & adoptet in filios dilectos, propter dilectum.

21. In Missa verò Sacrificulus impurus pollutus peccator, sacrificat panem & vinum, hac impia & blasphemā opinione, vt sit sacrificium verè propiciatorium pro peccatis viuorū & mortuorum. Quod non ratione tantum personæ celebrantis, cum, vt dictum est, verè propiciatorium sacrificium, homo alius præter Christum offerre non possit: verum etiam cum contra mentem & voluntatem instituentis coenam fiat: abominatio est coram Deo, qui propter horrendam illam coenæ dominicæ prophanationem, & Idolum in loco sancto irascitur, percutit cæcitate, & damnat ac punit, in hoc præsentī & futuro seculo celebrantes.

22. Modus etiam est diuersus. Crucis enim sacrificium fuit cruentum, Altaris dicunt incruentum. Cum igitur in hoc nulla fiat sanguinis effusio, Ergo neq̄ peccatorum impetratur eo remissio. Ideoq̄ non idem cum illo, sed longè diuersissimum.

23. Sic & tempore differunt & numero: Christus semel se obtulit in cruce die Parasceues magna: Missatici sacrificuli subinde repetunt, quotidie, multoties offerentes. Quod si Missa esset verè propiciatorium sacrificium pro peccatis viuorum et mortuorum, utiq̄ cessassent dudum offerre, postquam semel vnam fecissēt Missam: Sicut de legis sacrificijs scribitur: Nonne desissent offerri, si nullam habuissent conscientiam peccatorum, qui sacrificassent, ac semel purgati essent:

Hebr. 9.

Hebr. 10.

24. Nec



24. Nec idem potest esse effectus Missæ & Sacrificij Christi. Etsi enim concederetur in illa esse & haberi corpus & sanguinem Christi: Tamen non sequeretur ista offerri in ea, & quidem pro peccatis viuorum & defunctorum. Nam nec ideo cœna domini dicitur, aut est, sacrificium tale, & etiam si in ea verè exhibeantur sumentibus corpus & sanguis Christi.

25. Nam quod ad applicationē beneficiorum, quæ passionis sua Christus Ecclesiæ peperit, de qua multa pontificij nugantur: Applicantur ea, non Missa (quam canalem vocant, sed verè aureum) à sacrificulo celebrata, quæ se offerre pro alijs Deo Christum, solus vorans, tanquam os omnium mentitur: Siquidem in Missa pontificia, nec publica fit Euangelij prædicatio, sed tantum musitatio est, & murmur quoddam inane, imò magicū, Nec fit cœnæ dominicæ dispensatio, Ideoq; nulla in ea fit beneficiorum Christi applicatio: Sed applicantur ea alijs publico Ecclesiæ ministerio, prædicatione nempe Euangelij de Christo, & sacramentorum administratone. Percipiuntur autem singulis, & fit Applicatio, propria fide & sumptione: Quod verba Institutionis cœnæ Dominicæ docent. Coniungit enim Christus communionem & effectum corporis & sanguinis sui. De quibus enim dicit, edite corpus meum, & bibite sanguinem meum, de iisdem etiam dicit quod pro vobis datur, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Quæ verba in hoc ritum, non possunt ad alios transferri, quàm qui fruuntur participatione corporis & sanguinis Christi, cuius fructum vt percipiant, opus est propria fide & sumptione: Nec possunt hæc pro alijs Applicari, sicut nec pro alio Baptizari



zari quis potest, aut edere, vel bibere, vt inde alius saturetur. Sed sicut Euangelij prædicatione generaliter offeruntur beneficia Christi omnibus credentibus: Ita in cœna, singulis priuatim sumentibus applicantur. Quod si verò promissio, cœnæ Dominicæ annexa, particulariter etiam spectatoribus eius applicari posset: sequeretur eundem esse fructum propriæ sumptionis, & spectaculi, & parum referre, siue sumas ipse, siue sis tantum spectator. Quod absurdum est, & impium: frustra enim Christus instituisset propriam sumptionem.

26. Quod verò contendunt patroni Theatrici Missæ Sacrificij, Christum in cœna, incruento modo, se Deo patri pro delictis obtulisse, quia dixerit de suo corpore, quod pro vobis datur vel traditur: Et de sanguine, qui effunditur, præsentis temporis verbis, & non futuri, tradetur, & effundetur. Si ergo inquirunt, Christus veritas est, verè tunc obtulit, quia verbum præsentis temporis. Item dixit: Hoc facite, id est sacrificate. Ergo Missa est Sacrificium verè propiciatorium.

27. Respondeo: Si hæc substãtialia Missæ verba sunt, Quod pro vobis datur &c. vt sunt cœnæ Dominicæ: Missa prorsus sacrificium erit nullum. Quia in Canone ea non habentur, sed penitus in consecratione sunt omissa, quasi nihil ad rem facientia. In altera verò parte de calice, non præsentis, sed futuri temporis verbum est, in Missæ canone, effundetur: Mirum igitur, qua fronte Pontificij hinc Missæ suæ sacrificium stabilire instituant.

28. Sed quod ad verba præsentis temporis, DATVR & EFFVNDITVR, negamus hinc consequi, quod  
 C Christus



Christus incruento modo se Deo patri per ea, in coena obtulerit, & sic Missæ sacrificium expiatorium instituerit. Hoc enim nec verba institutionis nec proprietates passionis Christi admittit vt demonstratum est.

supra. 13.

29. Si enim coena Domini incruentum fuit sacrificium, quo & tum à Christo, & postea in Missa, peccata viuorum & mortuorum expiantur: Non necesse fuisset, postea Christum in cruce pati pro peccatis nostris: At verò Christus non contentus fuit coenæ suæ institutione, nec statim à coena in coelos ascendit, sed prius patri obediens factus est vsq; ad mortem, mortem autem crucis.

30. Et vsitata est in scriptura sacra numeri Enallage, qua non solum præsentis, sed etiam præteriti temporis verba, pro futuris vsurpantur (quod nemo negat, aut contra dicit, nisi scripturæ Sacræ ignarus) sicut in hoc ipso argumenti genere Isa. 53. vulneratus est propter iniquitates nostras, oblatu est quia ipse voluit & Psal. 22. foderunt manus meas & pedes meos. &c. De futura Christi passione vaticinantur, verbis præteriti temporis, idq; propter rei certitudinem.

31. Præterea passio Christi non id tantum fuit supplicium, quòd in cruce sustinuit (licet propterea quod ibi omnes passiones fuerint completæ, & consummatæ à principali sic denominetur) sed per omnem vitam durauit vnde & longè ante suam passionem dixit: Ego PONO animam meam pro ouibus meis. Ac præcipuè in vltima coena acerbissimos dolores, & cordis cruciatus sensit interiores, sicut turbatus spiritu scribitur, facta proditoris mentione. Quemadmodum & inquit: Filios quidem

1oh. 10.

1oan. 5.



MISSAM PONTIFITIAM.

quidem hominis **VADIT**, quemadmodum scriptum est de eo, cum tamen adhuc in coena sederet cum Discipulis: Et quia tum passionem suam meditabatur, totusq; in hoc erat, quod futurum erat. Hoc ipsum agebat Iudas tum, cui dicebat: Quod facis, fac citius. Hoc ipsum Iudaei, pontifices & Sacerdotes, unde etiam finitis coena, & proluxa ista sua concione, quae Ioh. 14. 15. 16. describitur, in ardenti sua ad Deum patrem adhuc in mensa assidens, precatione dixit: Ego pro eis **SANCTIFICO** me ipsum. Et paulò post in horto cepit pa- uere dicens: Tristis est anima mea usq; ad mortem.

32. Non ergo ex hoc praesentis temporis verbo **DATVR**, oblationem in coenae institutione Deo factam à Christo, uti conantur, probare possunt: cum in celebra- tione ea, qua coenam suis administrauit Discipulis, id protulerit verbum, quo non Deo patri caelesti se obtulit, sed praesentibus Discipulis corpus suum vescendum de- dit, & comederunt, sicut biberunt ex eo omnes, sicut nec ex illo ipso verbo sanctifico praesentis temporis, id probatur, quòd inter precandum se obtulerit Deo patri pro mundi peccatis. Ita etiam in eadem coena, apostquam Iudas egressus esset eumq; traditurus, ait: Nunc clari- ficatus est filius hominis, quod tamen demum à resur- rectione futurum erat, qua post passionem ingressus est in suam gloriam Lucae. 24.

33. Alterum est **FACERE**, cum Christus inquit, hoc facite, quod isti interpretantur id est sacrificate. In hac enim significatione, & à prophanis usurpari autoribus verbum hoc asserunt. Ergo in Missa sub speciebus panis & vini corpus & sanguis Christi Deo offerenda in sacrificiũ verè propiciatoriũ,      **C ij**      **Re**



34. Respondeo: Nego virumq; & antecedens, & consequentiam. Notum enim est, verbum, FACERE, in omnibus linguis per se & absolutè, nunquam significare sacrificare, sed pro natura, & materia rei subiectæ cui adiungitur, intelligendum, ita vt nunquam nisi construatur cum rebus quæ offeruntur, vt facere agnum, hædum, boues, cum hircis, vt Moses loquitur, & Psaltes canit, vitulam vt Virgilius, pro sacrificare, accipiatur. Quare semper sacrificium præsupponi necesse est, de quo verbum sacrificare, tanquam de subiecto quasi prædicetur.
35. Euangelistæ autem & Apostolus, disertè scribunt, quid Christus in cœna illa sua fecerit, & ita quidem disertè, vt omnem excludant disputationem. Apostolus ait, semel oblatus est, &c. Hic autem in tota cœnæ dominicæ descriptione, nullum est vocabulum, quod ad sacrificium transferri possit. Nec enim Christus hoc tum agebat, vt se Deo patri sacrificaret, quod factum est post tridie: Sed Discipulis suis, corpus suum in Sacramento edendum, & sanguinem bibendum dedit. Sicut omnia verba, in tota illa actione, clara sunt, manifesta & propria, nullumq; prorsus figuratum.
36. Ideo verba: HOC FACITE, nequaquam ad sacrificium referri possunt, sed ad totum complexum, & actionem præcedentem, & tum præsentem pertinent. Nec possunt nec debent aliter intelligi, nisi de his tantum rebus, quæ in cœna dantur & sumuntur, pane, vino, corpore, & sanguine Christi, sicut sonant clara & manifestâ verba: Dedit Discipulis suis panem, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum: similiter & calicem, dicens: bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus noui
- Testa-



MISSAM PONTIFITIAM.

Testamentum, addens: Hoc FACITE, Quid: Quod instituerat, & dixerat, ac fecerat, ipse, porrigens panem, dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meum, &c. Hoc, inquit, facite in mei commemorationem: Non offert, hoc enim non fecerat ipse, sed vt immediatè in vno & eodem orationis contextu sequitur, & habetur: Bibite ex hoc omnes, hoc facite in meam commemorationem. Quod Apostolus Paulus interpretatur, dicens: Mortem Domini annunciabitis, donec veniat, sicut & Cyprianus interpretatur, in cœnæ Dominicæ celebratione faciendum, quod Christus Dominus iam fecerat. Non voluit ergo Christus nos sacrificij sui, in ara crucis oblatis, per Sacrificij Missatici reiterationem, sed dum editur corpus eius, & bibitur sanguis eius in cœna, per suæ mortis annunciationem, meminisse.

37. At verò pontificij in Missæ suæ celebratione, nec prædicant, nec annunciant Christi mortem, sed musitant ignota vulgo, & sæpe, ne quidem ipsis sacrificulis propter inscitiam, intellecta lingua, non vt re commemoratum, (Hoc enim damnant in suo illo Tridentino cõciliabulo) sed vt verè propiciatorium sacrificium offerant. Macæ virtute noua pueri sic itur ad astra, vbi scilicet infernus est infimus.

Cœnam itaq; Dominicam Christus instituit, quæ Sacramentum est propriè & nequaquam Sacrificiũ. Mandatum enim Christi: Hoc facite, non facit ex Sacramento, sacrificium, sed necesse est, vt ostendatur institutio diuina, qua Sacramentum hoc à Christo in sacrificium sit ordinatum: quod nunquam & nusquam potest doceri aut demonstrari.

C iij Sicut



## DISPUTATIO CONTRA

39. Sicut & Apostolus Paulus verba ista Christi: Hoc facite, nequaquam de sacrificio, sed tantum de communionem seu participatione corporis & sanguinis Christi intellexit, & est interpretatus, cum inquit: Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem. Quotiescunq; enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

40. Vbi Apostolus tam præcedentia verba de edendo & bibendo, quam sequentia, de commemoratione mortis dominicæ, per verbum (Hoc facite) coniungit, copulat, ac interpretatur non de sacrificio, sed de communionem. Et commemorationem interpretatur, non de secreta meditatione seu speculatione, quæ in canone habetur: sed de publica prædicatione, seu gratiarum actione, pro summo hoc Christi beneficio, quod corpus suum pro nobis in mortem tradiderit, & sanguinem suum pro nobis effuderit: quæ nobis in cœna exhibet, ut illius tanti beneficii, grati recordemur. Hocq; modo verba Christi, cum facere iubet in suam commemorationem, hisce interpretatur verbis: Mortem Domini annunciate, donec veniat: quæ manifestum est, non de privata sacrificuli actione, sed totius Ecclesiæ, ut dictum est, communionem esse accipiendam.

41. Ut ergo Sacramentum etiam sit sacrificium: ad id peculiare & aliud requiritur verbum, mandatum, & institutio Christi, de quo viderint pontificij, qui ex eo theatricum Missæ sunt fabricati sacrificium verè propiciatorium, pro viuis & defunctis, iamq; pro hoc suo idolo, quod nervus est regni pontificij, tanquam pro aris & focis sibi non frustra pugnandum arbitrantur. Hic enim  
quæstus



MISSAM PONTIFITIAM.

quæstus omnium est maximus in nundinatione Missarum. Hinc opes & Ditiones mundi: hinc dignitas summa autoritas, quam sibi arrogarunt, & quidem tanta, ut ad eam ne angeli quidem cœlorum ciues aspirare audeant, cui etiam ipsa cœli Regina & mundi domina cedit, in quorum manibus creatur, & incarnatur Dei filius quotidie, cū illa semel tantū eum cōceperit in utero.

*Gab. super Cān.  
Missæ lect. 4.  
Sacrificuli creator  
res creatoris, in  
quorum manibus  
incarnatur Dei  
filius.*

42. Ingens porrò inter Sacramentum & sacrificium est discrimen. In Sacramentis enim diuinis, non nos Deo opus aliquod nostrum offerimus, sed contra Ecclesiæ Deus dat, & exhibet promissa bona. In sacrificijs verò diuinitus institutis, nos Deo reddimus aliquid, ut in veteri Testamento pecudes. In nouo iam certos cultus & opera, quibus eum honore afficiamus, & hoc est sacrum facere, vnde sacrificia dicuntur, non solum pecudum matratio & oblatio, ut in veteri Testamento: sed etiam alij cultus noui Testamenti, sacrificia laudis, propria corpora offerre hostiam viuam, Deo placentem, rationales cultus, qui pecudum oblationi opponuntur. Quantum igitur differunt accipere à Deo, & dare Deo: tantum interest inter Sacramenta & sacrificia: Et coena Domini à Christo est in hunc finem instituta, ut Sacramentum sit, & non sacrificium.

*Rom: 12.*

43. In coena enim Domini principaliter, non nos Deo damus, sed accipimus à Christo, Deo & Domino nostro, corpus ipsius & sanguinē, quibus nobis beneficia à se parata, applicat, fidemq; nostram confirmat. Sicut Discipulis suis dixit, panem porrigens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, similiter & calicē.

44. Deinde, minus principaliter, in vſu & sumptione coenæ



coenae Dominicae commune facti de ipsius in nos collatis beneficijs summis, vicissim illi agamus gratias: vnde & *ἱεραγία* dicitur: minimè verò sacrificiū *λασιόν* id est propiciatorium, de quo in verbis coenae nihil. Sed postridie in ara crucis semet ipsum obtulit Deo patri, sicut inquit: Ego pro eis sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.

Iob. 17.

45. Christum autem Dominum vel in coenae suae administratione se Deo patri, suo obtulisse, vel in hunc eam instituisse vsum, vt in ea corpus & sanguis ipsius Deo patri deinceps offeratur denuo, vt hoc sacrificiū opus in Missa theatra, sacrificiū sit verè propiciatorium pro peccatis viuorum & mortuorum (hic enim status est, hic cardo, hoc *κρινόμενον* controuersiae inter nos & pontificios, quod bene notent Missatici sacrifices) id in omnem aeternitatem ex verbis institutionis diuinae vel etiam alijs scripturae sacrae testimonijs probare nūq̄ poterunt. Et negat hoc Apostolus cum dicit Christum semel oblatum esse, & vnica oblatione consummasse in aeternum, sanctificandos: Semel in sancta ingressum, vt supra quoq̄ docuimus.

46. Nam quod amplius Missatici obijciunt, pro suo Missae sacrificio adstruendo, non leue esse argumentū quòd Christus se in sua illa coena Deo patri obtulerit: Quia huius Sacramenti celebrationem agni legalis sacrificio coniunxerit, eiusq̄ loco instituerit. R. non modò leuis armaturae milites hi sunt, sed leuissimum esse argumentum ex eo apparet: Quia ex figura tantū sumitur argumentum, imò ex coniectura, quae nihil probant, verū euidentiōribus & firmioribus opus est inretanti momentū,



momenti, probationibus. Deinde in allegoria illa agni paschalis, non fuit sacrificium propriè: sed sacramentum veteris populi. Non enim à sacerdotibus Deo offerebatur, vt propiciatorium esset sacrificium, sicut iuge erat sacrificium, sed ab vniuersa multitudine Israel mactabatur, vt habet textus, in memoriam liberationis ex Ægypto: nihilq; de eo Domino offerebatur, sed totus comedebatur. Quod verò vñitata translatio alicubi habet: Immolabit eum omnis multitudo: in Hebræo est Schachat, quod propriè mactare significat. Quia vero prius mactata, in alijs sacrificiorum speciebus, deinde offerebantur Deo & imolabantur: Ideo etiam pro immolare accipitur. Hoc verò loco minus propriè esse redditum, exijs quæ diximus, facile apparet.

47. Puerile itaq; est, infirmum, & nullum argumentum, quod Sacrifices inferunt, quia Christus pasche celebrato, statim suam instituit coenam: Ergò in illa se obtulit patri. Impletus est enim typus, & figura agni paschalis non in coena illa Christi vltima, & testamenti noui institutione: Sed in cruce, vbi pascha nostrum immolatus est Christus, agnus Dei, tollens peccata mundi, in corpore suo super lignum crucis. Et iterum: redempti estis precioso sanguine agni immaculati. Sicut etiam canit Ecclesia: Cum pascha nostrum Christus est, qui immolatus agnus est, synceritatis azyma, caro eius oblata est. Et quid verbis & testimonijs multis est opus: Expressè Ioannes testatur, typum hunc agni paschalis à Christo, nequaquam in coena, sed in cruce expletum, cum testimonium eius allegat ex Moyse: Os

D non

Exod. 12.

1. Corinth. 5.

Ioan. 1.

1. Petri. 2.

Ioan. 19



non comminuetis ex eo, cum ossa in cruce pedentis, non  
 ut latro num frangerentur. Ita ut non modò scriptura  
 destituantur testimonijs sacrificuli, sed ea planè contra  
 rium passim doceat. Quod si verò contra hæc tam aper  
 ta scripturæ Sacræ testimonia pontificij vrgere typum  
 voluerint, eumq; in cœna esse completum odiosè con  
 tendere: necesse est, ut sicut agnus ille paschalis im  
 mactatus, ita Missam quoq; cruentum esse sacrifici  
 nec à sacrificulis, sed à plebe Christiana offerendum  
 Christum in cœna. Sed olim Esaias typum enarrans do  
 cet, ubi & quomodo Christus agnus sit immolatus, in  
 quiens: Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os  
 suum &c. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi  
 agnus coram tundente se obmutescet, & non aperiet os  
 suum. Ita & vulgata habet editio.

154. 53.

48. Subdolè itaq; & fraudulenter, Pandoram illam  
 suam, quod sacrificiū sit verè propiciatorium (cum hor  
 renda sit & sacrilega cœna Dominicæ prophanatio  
 cum ipsa Dominica confundunt cœna, dicentes: Totam  
 Missæ actionem eò spectare potissimum, ut quod Chri  
 stus Dominus in cœna instituit, reuerenter peragatur  
 Cum non modò (ut iam ostensum est) diuersissimi  
 sint actiones, sed tantū distent, quantū cœlum ab inferno.  
 49. Sed & ipsi pontificij intelligunt, sibi non multum  
 fiducia ac præsidij in verba institutionis, ex quibus sibi  
 se Missaticum illud sacrificium propiciatorium extruere  
 non posse animaduertunt (cum nihil tale habeant) esse  
 collocandum. Imò maximè ea sibi aduersari sentiunt  
 ideoq; ipsi ferè omisis, (obiter certè & sicco pede pra  
 teritis, quæ tamen totius causæ, & controuersie sum  
 fun



MISSAM PONTIFITIAM.

fundamentum, ac verba Dispositionis testamenti Christi ad alia mox se proripiunt peregrina, vndecumque collecta argumenta (quorum præcipua recitabimus, quantaque omnino breuitate fieri poterit refutabimus) quibus probare conantur in Nouo Testamento externum aliquod sacrificium esse debere. Quia semper hinc à mundo condito, visibile aliquod fuerit sacrificium, illudque Missam suam esse asserunt, quæ qualis sit collectio facile apparet. 50. Nam quod arbitrantur isti, sacrificiorum vsum à natura esse: quia omnes gentes, quæ non alia quam naturæ lege ducebantur, sua semper habuerint sacrificia, quibus Deos suos coluerint, legem autem gratiæ non destruere sed perficere naturam: ideo de lege naturæ esse oblatione sacrificiorum: longè errant. Etiam si enim hæc omnia concederemus quæ sibi sumunt: tamen non sequeretur quod isti intendunt: Missam suam esse sacrificium verè propitiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum. Est enim fallacia à non distributo, ad distributum. Sed & alijs vitijs laborat hoc argumentum. Primum enim nequaquam concedendum est, oblationes pecudum in sacrificijs, à lege naturæ introductas: quod aliter nos sacræ doceant literæ. Cain & Abel primi sacrificasse leguntur: & de Abel scribit, quod Deus ad eum respexerit, & ad munus eius. Fide itaque Abel Deo gratiorè obtulisse quæ <sup>Heb. 11.</sup> Cain hostiã scribit. Quod si ex fide Abel obtulit: Fides <sup>Rom. 10.</sup> aut est ex auditu verbi Dei: præcessisse ergo verbū Dei necesse est, nõ illud tantū, pmissionis de semine mulieris benedicto, cõtritu caput serpētis, quod fide apprehendit Abel, hacque Deo placuit: sed etiã de sacrificio. Quicquid, n. non est ex fide, peccatū est. Fides aut sine verbo Dei nulla est <sup>Rom. 14.</sup>

D ij Sed



sed tantum opinio. Deinde in **Spiritualibus & Theologicis** actionibus, non possunt à natura quæ corrupta est *κεβέλα* duci argumenta. Sensus & sapientia enim carnis mors est, & inimicitia aduersus Deum. Hinc factum est, ut multa hominibus bona sint & vtilia visa, quæ tamen Deo displicent. Imprimis autem commendatur ab hominibus **BONA INTENTIO in SACRIS**: quam tamen sacræ damnant literæ, & inde simulachra, & idololatria multiplex est exorta.

Rom. 8.

51. Quod verò ad ritum omnium gentium, quæ sua obtulerunt sacrificia, attinet: facilis est responsio. Cum enim omnes illæ à Noah eiusq; filijs ortæ sint, & propagatæ, à suo patriarcha illum acceperunt ritum, & falsa patrum piorum imitatione, retenta cæremonia externa sacrificiorum, nucleum amiserunt, de vero sacrificiorum vtu, ratione & significatione, cumulantés postea sacrificia, eaq; ex opere operato offerentes, Deos se placare putauerunt.

Rom. 1.

52. Etsi autem naturalem esse noticiam de Deo, quod sit Deus, & Deum colendum esse non negamus, quod & Cicero testatur: tamen quomodo is sit colendus, id omnes ignorauere gentes extra veram Dei Ecclesiam constitutæ. Nec vult Deus coli de industria & ingenio humano excogitatis cultibus. Tales enim plantationes eradicandas docet Christus, Ita in sacrificijs sicut & alijs religionis Christianæ partibus, non ex rationis humanæ dictamine, sed ex verbo Dei statuendum, iuxta illud: Lucerna pedibus meis verbū tuum, & lumen semitis meis. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, Stultitia enim illi est, & non potest intelligere,

Deut. 4. 12.

Matth. 15.

Psal. 119.

2. Cor. 1.



re. Ideoq; Deus certam populo suo sacrificiorum rationem, modum, locum, tempus, & ordinem, lege sua præscripsit, quem cum negligerent Israëlita, gravissimè à Prophetis fornicationis Spiritualis, id est, idololatriæ rei agebantur, & à Deo hac de causa sunt puniti.

53. Vbi simul corruptela Scripturæ notanda, qua legem mentis, de rationis cæcæ, in rebus Spiritualibus & cultus concernentibus, dictamine & iudicio interpretantur, cum de lege Dei in verbo eius reuelata & descripta, Apostolus intelligat, sicut semet interpretatur, dum ait: Condelector lege Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Eandem appellans legem Dei, & mentis legem, cui repugnet lex membrorum, in toto homine, quatenus non est renatus, etiam in superioribus viribus, intellectu & voluntate. Ratio enim in divinis & Spiritualibus cæca est, ideo in obsequium fidei captivanda, voluntas verò contumax est & averfa à Deo. Quæcunq; ergo homini non renato & Ethnico, de filij Dei incarnati sacrificio, & alijs cultibus Spiritualibus dicuntur, non modò ridicula, sed & stulta videntur.

54. Externa porrò in veteri Testamento sacrificia, typi fuerunt, nequaquam Missæ Pontificiæ, sed vnicuique verè propiciatorij sacrificij Christi, & sic oculares & visibiles quodammodo conciones, de vnicuique sacrificio verè propiciatorio, quo filius Dei incarnatus, victima est factus in cruce, pro totius mundi peccatis exhauriendis, in quo omnia fuere completa typica illa: Ideoq; opere redemptionis in cruce peracto clamavit: consummatum est, & velum templi scissum est. Iam itaq; in Nouo

D iij Testa-



## DISPVATIO CONTRA

Testamento, non nouæ vmbrae, & sacrificia talia externa, soli clarissimo sunt inducenda, quibus Christi passio, etiam in Missæ celebratione repræsentetur, per sacrificuli actionē theatricā, gesticulationes manuum, & brachiorum expansionē, quæ histrionicae actiones in coena dominicæ administratione, multis seculis Ecclesiæ Christi fuere ignota, quas etiam Mimi, & histriones corū in festo Corporis Christi, feliciter possunt quā missitantes isti & murmurātes Sacrificuli, imitari & repræsentare.

ss. Atqui in nouo Testamento, præter illud Christi in cruce peractum, externum esse necesse est sacrificium, obijciunt isti: Et si sacrificium, ergo & sacerdotes. Illud autem esse Missæ sacrificium, & Sacrificulos illud offerentes, præter quod aliud monstrari non possit, quod per tuge adumbratum sit sacrificium in veteri Testamento.

sz. Primum ad formam, in omnibus propemodū talibus Papistarum argumentis, duo sunt vitia contra Dialecticam, vnum est fallacia à non distributo ad distributum. In sacra Scriptura mentio fit sacrificij, ergo Missa est illud sacrificium. Alterum, quod plus est in consequentia, quā in præmissis, vel antecedenti: Missa, vel coena Domini, dicitur sacrificium, ergo est sacrificium verè propiciatorium pro peccatis viuorum & mortuorum, alijsq; necessitatibus offerendū. Deinde ad rem respondeo. Nusquam in Scriptura sacra, alicuius alterius externi fit mentio, in nouo Testamento futuri sacrificij, præter Christi in cruce peracti, quod perpetuum est. Assidue enim assistit coram patre cœlesti intercedens pro nobis, & efficacia illud vnum valet perpetuo, & est sufficiens. Hic enim est sacerdos in æternum secundum ordinem



MISSAM PONTIFITIAM.

dinem Melchisedech, de quo paulò pòst. Huius Christi externum fuit sacrificium, non quale sacrificuli celebrant in Missa sua eum sacrificantes: sed quo ipse semetipsum obtulit victimam pro peccatis totius mundi, qua vnica oblatione consummavit in æternum sanctificandos. Nec debet repeti, quod signū esset imperfectionis, quæ blasphemia est in passionem Christi eiusq; sanguinem horrenda. Iuge sacrificium, non Missæ abominandæ, sed Christi vnice veri propiciatorij sacrificij typus fuit, qui est æternus summus sacerdos.

§6. Est autem præter hoc Christi in Ecclesia etiam noui Testamenti, & manet etiam perpetuò externum sacerdotium aliud (si tamen ita, citra Scripturam est appellandum) sed non Missaticum. Hoc enim sacrificulorum ignauorum & otiosorum hominum genus, ad missas tantum duas vel tres, de beata virgine, & requiem pro defunctis, demurmurandas, propter incitiam, consecratum, Spiritus sanctus in Scriptura sacra penitus ignorat.) Verū Ministerium Ecclesiasticum, quod Christus instituit, & perpetuò conseruat, sedens ad dexteram æterni patris, dona dat hominibus, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Doctores, Episcopos, Pastores, Presbyteros, Diaconos: quorum omnium & singulorum officium est, docere verbum Dei syncerum, & administrare Sacramenta diuinitus instituta. In quo Catalogo Missifices non (sicut etiam alibi nusquam in tota sacra Scriptura) recēsentur, sed altū de his est silentiū, licet omnes totius Noui Testamēti libros euoluas. In quo mētio fit primū, sacerdotij illius vnici veri & æterni, Domini nostri Iesu Christi. Deinde & Spiritualis quod omnibus ex  
æquo



quo commune est Christianis 1. Petri. 2. Tertium est externum apostolorum, & omnium Ecclesiae Ministrorum officium proprium, ut doceant verbum Dei, & Sacramenta administrent: quod tamen nusquam in nouo Testamento Sacerdotium, sed Ministerium, & Ministri Noui Testamenti dicitur. Sacrifices autem Missatici à Deo suo Romano Antichristo, cuius characterem gerunt, sunt creati.

57. Nam quod pontificij aiunt, Christum in vltima coena Apostolos suos consecrasset sacerdotes, cum dixit: Hoc facite: & chrismatis tunc docuisse consecrationem, quo characterem accipiant indelebilem: ut mitissime dicam, nugae sunt putidissimae. Quod verò analogia & typo leuitici externi sacerdotij, in quo pecudum offerebantur sacrificia, id probare conantur: Expressis istud verbis cum omnibus suis circumstantijs, à Deo est institutum. Ex hac nuda figura nihil probabunt pontificij. Typus enim id fuit Christi eiusque sacrificij & sacerdotij ideoque adueniente corpore, abrogatum euanuit. Quare opus erit perspicuis Noui Testamenti verbis & testimonijs, quibus doceatur, Christum vel Apostolos, externum aliquod tale Missaticum instituisse sacrificium, & sacrifices tales, qui curam defunctorum suscipiant, cum viuis viam salutis demonstrare nequeant. Quia verò hoc facere non possunt, sacerdotium Missaticum ex Deo non est, sed aliunde.

Gen. 14.

58. Verum hinc procedit Melchisedech sacerdos Dei altissimi, panem & vinum Deo offerens. Neque enim aliam ex sacris literis afferre rationem huius sui Missatici sacrificij panis & vini possunt, nisi quod is tunc sacerdotio



MISSAM PONTIFICIAM.

cerdotio fungeretur, secundum cuius ordinem Christus est sacerdos in æternum. Fit autem inquit ordinis comparatio, vel maxime à similitudine sacrificij. Christus ergo sacrificiū aliquod, sacrificio Melchisedech simile obtulit. Id autem non factum est in cruce, cū non panis & vini, quemadmodum Melchisedech, sacrificium in cruce obtulerit. Reliquum igitur est, in cœna huiusce generis sacrificium à Christo fuisse oblatum.

59. Respondeo tot corruptelæ, fallaciæ, imò verò tot in hoc argumēto sunt mendaciæ, quot verba. Primū enim figura, vt Augustini verbis & Regula vtamur, nihil probat. Fundamentū Missæ, prius ex cœnæ Dominicæ institutione probandū & confirmādū erat, quod in æternū omnes Missæ patrōi et satellites Romæ pontifici facere nunq̄ poterūt. Deinde textus malè ex Hebræo est redditus in vulgata translatione: quā omnino suo quodā compendio volūt retinere, quòd hinc Missæ sacrificiū se extruere posse confidat, cū ita legitur: At verò Melchisedech Rex Salem, proferens (alij legunt, offerens) panē & vinū (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixitq̄ ei. Vt intelligatur Melchisedech panem & vinum obtulisse Deo, sicut in sacrificijs fieri consuevit. Hoc vt confirmetur, addita est, & inserta parenthesi, particula rationalis, ENIM, Cur videlicet protulerit vel obtulerit panem: Erat enim sacerdos Dei altissimi. Verū in Hebræo, nequaquam habetur obtulit, sed protulit Hozī, quemadmodum ibidem capit. 19. idem repetitur verbum, vbi Angeli præcipiunt Loth: EDVC Hozī si quem habes generum, quia Dominus perdet locum istū. Neq̄ particula rationalis (enim) in hebræo habetur: sed

E eius



## DISPUTATIO CONTRA

eius loco coniunctiva, ET. Et ipse sacerdos Dei altissimi, descriptio personæ est.

Hieron. ad Euag.

60. Sic & Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus, & Hieronymus legunt, quorum hic, non tantum verba reddidit, sed eorum sententiam exposuit: quod videlicet in refectioem tam ipsius Abrahamæ, quàm armatorum eius, panem vinumq; protulerit. Duo ergo de Melchisedech scribit Moyses, quòd fuerit Rex & sacerdos, & quidem quatenus REX, protulit Abrahamæ eiusq; populo. (Vt Hieronymus ait,) defatigato & famelico, panem & vinum, quibus eos refecit: quatenus verò sacerdos, benedixit Abraham, sicut disertè & distinctè utrumq; à Moysè scriptum est. In vulgata autem versione confusa hæc sunt. Ex vera itaq; textus lectione constat & certum est, Abrahamo à Melchisedech oblatos panes, quibus cū exercitu vesceretur: Et non Deo. Ideoq; per consequens, sacrificium non fuisse.

Diffut. Ingolsta-  
diensi de S. S.  
missæ sacrificio  
Thesi. 46.

61. Cæterum hic noui Idoli pontificij Missatici patroni, de his particulis in textu Hebræo ita ludunt: puerilis, inquit, ac tenuis est omnino Iudicij argumentum, à vocabulis, Typographorū vel imperitia vel negligentia omisis, vel apposis, magis quàm ab Ecclesiæ sententia dependere, Ideo vulgata æditio quam sequimur, vt Ecclesiæ autoritate probata, aliter habet. Sed neque illorum lectio, argumenti, vim & energiam, si rectè consideretur quicquam imminuit. Quid enim sacerdotis hic mentio fieret? Nisi vt sacerdotis singulare aliquod officium, hic interuenisse intelligamus. Hactenus illi,

Quid



MISSAM PONTIFICIAM.

§2. Quid hinc primùm dicam, propter rei atrocitatem, dubito. Sed tamen ad postremum primùm respondeo, vno verbo: Non opus est coniecturis, cur sacerdotis fiat mentio: non sacrificij ratione, quod nullum hic describitur, sed benedictionis, vt habetur in textu: Benedixit Abrahæ: quatenus sacerdos, sicut ad Hebræos septimo prolixè describitur. Quòd si obijciant in hoc non esse discrimen inter Melchisedechi & Aharonis Leuiticum sacerdotium, cum & hi benedixerint populo &c. verum est. Nec Moses discrimen facit inter illos, sed Dauid demum Psalmo. 110. quod copiosius postea enarrat Epistola ad Hebræos. Deinde quæro: Ita ne vobis, ô socij non Iesu, sed de genere Esau, puerilis esse videtur & tenuis omnino Iudicij argumentum, (vt vobis loqui permittitis) è scriptura sacra depromtis testimoniis, cum hostibus congredi? Et quo armorum genere Christus vsus est aduersus Sadducæos, Scribas, Pharisæos, Maiores vestros: Nisi ex ipsè depromtis telis quib. & cum Satana egit, eumq; repulit. Quo item Apostoli in suis concionibus, nisi è scriptura Sacra? Hæc enim arma sunt quibus Sathanam & omnia ipsius auxilia profligare iubemur, hic gladius est spiritus, quo quia inferiores se esse vident papicolæ, ideo eo neglecto, brachium carnale implorant. Vobis itaque iudicibus, puerilis & tenuis omnino illi fuerunt iudicij. Et quod amplius est: ô Prophanos vos, sceleratos, & in scripturam sacrosanctam blasphemos Esauitas, in [dubium] eam vocantes, quos nihil pudet coram Ecclesia Christi,

E ÿ quantum



## DISPUTATIO CONTRA

quantumuis p̄s auribus & mentibus auditu abominandum, quo Scripturæ sacræ eleuetur autoritas, eaq̄ suspecta reddatur, quasi Typographorum negligentia, vel inscitia sit corrupta, è sterquilinio vestro Sautico eumere, vt hoc modo neglectis, & omissis Biblijs, vtpote in quibus nihil habeatur certi, sed quæ corrupta sint Typographorum vel imperitia vel negligentia; ad Ecclesia vestra Sautica, quæ Synagoga est Satana, sententiam & iudicium confugiant miserî homines, vestraq̄ decreta foetidissima exosculentur. Qua in parte sanctiores multò sunt his impijs & prophanis Esautis, Iudæi quantumuis excæcati, à Deo abiecti, inq̄ Christum Dominum nostrum, sanctamq̄ ipsius Genetricem blasphemis qui ne Iota quidem, aut punctulum minutissimum, in Biblijs negligunt, sed sanctè ad superstitionem vsq̄ seruant.

63. Sed hic valde acuti & oculati sunt aduersarij, dicentes: victor exercitus Abrahæ inter alia spolia, quæ ad victum pertinebant, affatim reportauit: sicut Abraham alloquitur Regem Sodomorum: Non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, exceptis his, quæ comederunt iuuenes. & Cæci sunt Papistæ, non videntes, quid respondet Abraham. Non enim ait, eos affatim habere comēatum, vnde vescantur: sed inquit: **QVÆ COMEDERVNT.** Absumptum itaq̄ erat viaticum itineris longitudine in reditu, ideoq̄ Melchisedech protulit eis panem & vinum, quibus eos refecit.

64. Præterea è Scriptura sacra constat Melchisedech typum Christi fuisse, non ratione sacrificij seu oblationis panis & vini, Si maximè hoc quod contendunt Papicola,



MISSAM PONTIFITIAM.

picolæ, nec tamen probare possunt, concederetur, eum  
 nempe hæc Deo, & non exercitui Abrahamæ obtulisse. In  
 hoc enim non separatus esset Melchisedech à sacerdo-  
 tibus Leuiticis. Nam & hi panem, vinumq; in suis offe-  
 rebant oblationibus, vt ex Leuitico Mosis constat, sed,  
 vt docet Apostolus (qui multa enumerat, in quibus Mel <sup>Heb. 7:</sup>  
 chisedech typus fuerit Christi: inter quæ nullam tamen  
 prorsus oblationis panis & vini mentionem facit) ratio-  
 ne personæ, & officij. Quod ad personam attinet, diser-  
 tis verbis scribitur, ideo eum assimilatum filio Dei, quia  
 sine patre & matre, sine genealogia, neq; initium dierum  
 neq; finem vitæ habens, non quod ijs caruerit, sed vt i-  
 bidem habetur: quia scilicet hæc de Melchisedech, in  
 Scriptura sacra non annotantur. Ita Christus Dei filius,  
 in cælo non habuit matrem, in terra non habet patrem.  
 Deinde ratione officij, Melchisedech, Rex fuit & Sa-  
 cerdos. Et quidem ex nomine Rex dicitur iustus, ratio-  
 ne verò loci, Rex salem pacis, & Sacerdos placans De-  
 um, Abrahamæq; benedicens. Quæ omnia & singula Chri <sup>Vid. 68.</sup>  
 stus habet & fecit. Rex noster iustus est, & princeps <sup>Zach. 9.</sup>  
 pacis. Sicut etiam æternum habet sacerdotium, quod in <sup>Isa. 9.</sup>  
 oblatione corporis sui consistit, qua vnica semel facta <sup>Psal. 110.</sup>  
 æternam inuenit redemptionem, similiter & benedictio- <sup>Gen. 12.</sup>  
 nem. In hoc enim nos Deus benedixit omni benedictio- <sup>Ephes. 1.</sup>  
 ne spiritali cælestium bonorum, qua nobis impetra-  
 uit benedictionem benedictum semen Abrahamæ, factus  
 pro nobis victima, seipsum offerens in odorem suauita-  
 tis, nos Deo patri sanguine suo reconcilians, vnde &  
 saluare potest in perpetuum accedentes ad se, semper  
 viuens, ad interpellandum pro nobis, sedens ad dexte-

E iij rana



Heb. 7.

ram Dei patris. Hocq̄ modo Christus pontifex noster, Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non Aaronis: Et si huius quoq̄ sacerdotium, Christi typus fuerit: sed Melchisedech dictis de causis, longè, multisq̄ modis Leuitico præstantius fuit. Quia benedixit Abrahæ à quo Leui; Abraham quoq̄ decimas dedit Melchisedecho, in illiusq̄ lumbis Leui est decimatus. Præstantius ergò Christus habuit sacerdotium Leuitico, quod nihil ad perfectionem adduxit: Æternum est Christi quod repeti nõ potest, vt Leuiticũ propter imperfectionẽ, Christi iuramento est confirmatum, illud verò nõ nec Leuitica propriè, sed typicè tantũ, peccata expiauerunt. 45. Vnde & in tota sacra Scriptura noui Testamenti, nullius alterius Sacerdotij fit mentio quàm Christi: sicut nec sacerdotum: nisi qua ratione omnes Christiani ex æquo regale & Spirituale dicuntur, & sunt sacerdotium, & Ministerij Ecclesiastici, quod in verbi diuini prædicatione Sacramentorumq̄ administratione consistit, vt supra prop. 56. Ideoq̄ Missatico sacrificio & sacrificulis Missaticis, non modò prorsus nihil opus est in Ecclesia: sed etiã prophanatio est coenæ Dominicæ Missa illa pontificia, & blasphemia in sanguinẽ & sacrificiũ vnicũ Dñi nostri Iesu Christi, veri, vnici, & summi nostri sacerdotis, Mediatoris & reconciliatoris generis humani. 66. Porrò si maximè cõcederemus quod Hieronymus dicit, id quod Melchisedech fecit, in figura panem & vinum offerens, Christus in veritate corporis & sanguinis sui representauit, quid hæc etiã ad sacrificulos Missifices? Hieronymus enim non de sacrificio, sed de Sacramento



MISSAM PONTIFICIAM.

mento corporis & sanguinis Christi loquitur, quod non obtulit Deo in coena, sed discipulis suis distribuit: verba Hieronymi hæc sunt, super 26. cap. Matth. Postq̄ typicū Pascha fuit completū & agni carnes cū Apostolis comederat, assumpsit panē, qui est confortator hominis, & ad verum Paschæ tranſijt SACRAMENTVM, vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech panē & vinum offerens fecerat: ipse quoq; in veritate corporis & sanguinis sui repræsentauit. Hic quis nō videt Hieronymū de Sacramento, & cōmunionē corporis & sanguinis Christi loq̄? Sed quid hæc ad Missæ pōtificiæ sacrificiū? 67. Quod si præterea omninō idem placet facere quod Melchisedech fecit, cur non ea ipsi in Missa sua distribuunt alijs, quemadmodum Melchisedech Abrahæ exercitui, & Christus discipulis suis in coena, quod & ipsos idem quoq; facere præcepit: Sed soli ipsi, id quod Deo se offerre mentiuntur, vorant & absumunt, & quidem pro alijs & propter aliorum vtilitatem, quorum os se omnium esse perhibent: Quorum nihil Christus in sua coena fecit, aut facere iussit. Præterea, si omninō concedatur, Melchisedech Deo panem & vinum obtulisse, inq; hoc eius constituisse sacerdotium, atq; secundum hūc ordinem Christum fuisse sacerdotem: Tamen hinc non sequetur, quod volunt & contendunt isti: in Missa nempe Christū incruento offerri modo, vt sit sacrificiū verē ppiciatoriū &c. Sed hoc sequeretur: in Missa pōtificia, non nisi panē & vinum offerri, quod esse verissimū infrā docebimus. Aliās si Christi in ea corpus offeratur, nō amplius est sacerdotium hoc, secūdū ordinē Melchisedech, sed Aaronis, qui corpora pecudum in sacrificijs obtulit.

Quod



68. Quod verò Esauitæ interrogati, cur Apostolus ad Heb. 7. nullam panis & vini à Melchisedech oblato mentionem faciat, collationem huius cum Christo instituens, ac docēs, quomodo Christus sacerdos sit, secundū ordinem Melchisedech, respondent: omninò Apostolū ad Hebræos nullum sacrificiorum comparationem facere siquidem illa parum vel nihil ad rem, de qua agebatur attinebat. Respondeo, Vulpinā hic assunt Sauitæ. Cum enim videant Apostolum non seruire ipsorum instituto, astutē dissimulant suum dolorem, non opus fuisse illum hac de re verba facere, dicentes. Sicut Vulpecula ad pirum accedens, cauda cupiens pira decutere, quæ cum nō caderēt, alioqui se ea nolle dicebat. Atqui mendacē oportebat esse memorem. Cur enim Melchisedechum producunt, secundum cuius ordinem Christus dicitur esse Sacerdos in æternum? Quod igitur dicunt omninò nullam Apostolum sacrificiorum facere comparationem, siquidem illa parum vel nihil ad rem de qua agebat, attinebat. Miror insignem Sauitarum impudentiam. | Cum hic scopus principalis sit vt nostræ Disputationis, & controuersiæ, ita etiā Apostoli, vt explicet, & declaret similitudinē inter duos Sacerdotes, Christum, & Melchisedech, & quis sit ille modus, secundum quem Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Ibi certē vt maximē decuisset eum sacrificij facere mentionem, cū sacerdotum sit sacrificare proprium. Et ex professo hoc agit Apostolus, vt doceat in quo Melchisedech Christi typus fuerit. Verūm Apostolus quasi non vidisset historiam Genesios. 14. alto præterit silentio, panem & vinum Melchisedechi, quod facturus fuisset minime,

locu



locus iste prolati panis, de sacrificio fuisset intelligendus, cum accuratè ibidem de Melchisedech loquatur, & disputet. Duo autem alia dicit, secundum quæ, Melchisedech assimilatur filio Dei, primùm ratione duplicis officij quo functa sit persona illa, quòd nempe fuerit, Rex salem idest pacis, & Melchisedech id est Rex iusticiæ: & sacerdos Dei altissimi, sine genealogia, & sic æternus quodammodo. Non quòd sine matre & patre fuerit, sed quia non assignatur eius generatio, sicut neq; mors. His ergo gessit typum Christi summi & æterni sacerdotis. Nulla autem sit prorsus mentio ab Apostolo sacrificij panis & vini, cum tamen sacerdotum instituat collationem: non quòd nihil aut parum ad rem attingerit. Hoc enim minimè dissimulandum Apostolo fuerat, si in hoc ille typum Christi gessisset. Sed quia spiritus sanctus, qui ubiq; sibi constat & locutus est per Davidem & Apostolum, vidit venturos hypocritas, sacrificulos, qui abusuri essent hoc testimonio ad stabilendam suam impietatem Missaticam. Ideoq; non in oblatione panis & vini, Melchisedech typum esse Christi, demonstrare voluit, sed in alijs de quibus, dictis locis scribitur: Ideoq; hinc Missæ sacrificium probari non potest.

69. Hinc etiam sequitur, nullius esse prorsus momenti figmentum pontificium, quo dicunt psalten, cum canit: Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ad historiam Geneseos alludere, eamq; explicare, indeq; inferunt: Cum præcipuum, quod inter alia illic narratur, hoc sit, panis nimirum & vini sacrificium: hoc eodem sensu, à similitudine sacrificij Christi, ad Melchisedech

F com-



## DISPUTATIO CONTRA

comparationem fieri. Quis hinc Sauitarum vertiginem non miretur: David scilicet vnico versiculo complexus est omnia, & respexit ad panem & vinū Melchisedechi vtriusq; sacerdotis Comperationem faciens Apostolum vero, qui ex professo enarrationē suscepit totius negotij & comparisonem vtriusq; personæ et officij Melchisedechi & Christi prolixā instituit: Ideo nullā sacrificiorum fecit comparisonem, siquidem illa parū vel nihil ad rem de qua agebatur, attinebat. Rīsum contineat Lector. Hic apud Psaltem, præcipuum est, panis & vini sacrificium, cuius nullam prorsus facit mentionem. Illic apud Apostolum, qui prolixè docet in quo consistat ordo & modus, secundum quem Christus est Sacerdos Melchisedecho similis, parum vel nihil, ad rem faciunt sacrificium panis & vini. Hoc ex eodem ore est flammæ simul calidum & frigidum. Demonstratum præterea est, nullam prorsus in Genesi sacrificij vel oblationis panis & vini fieri mentionem, quòd ea Deo obtulerit: sicut Apostolus quoq; vt iam ostensum est, eius non meminit. Ideoq; nihil inde sequi aut probari, quod Christus panem & vinum in cœna vel Missa offerri voluerit, vt nec ipse se in ea Deo obtulit, sed discipulis edendum corpus, & sanguinem bibendum, pane & vino exhibuit.

70. Planè autem hoc patronis Missæ accidere videmus, quod in fabulis de lupo ad discendas literas in scholam misso narratur. Cùm enim eam ad rem ineptus esset, naturamq; mutare non posset: ad singulas literas, præeunte Magistro hoc modo, illum subsequens **A. Lamb. B. Lamb. C. Lamb.** Et sic consequenter. Ita isti quoq; Missifices vbiq; in scriptura sacra legunt aliquid de  
sacerdotio,



sacerdotio, sacrificijs, pane & vino, statim ad suæ Missæ confirmationem, quòd sacrificium sit propiciatorium, Deo offerendum, rapiunt. Quid enim minus ad Missæ sacrificium, quàm panis & vinum à Melchisedeço armato Abrahæ populo prolata: Quæ Deo esse ab ipso oblata, nunquam isti in omnem probabunt æternitatem.

71. Christus ergo sacerdos est in æternum, perpetuum habens sacrificium. Non ut quotidie Deo patri sacrificetur: sed quia vnicui sacrificij perfectissimi effectus semper & perpetuo durat & est efficax. Deinde quia semper vivit ad hoc, ut appareat vultui Dei, & pro nobis intercedat, per quem accedamus ad Deum, perpetuoq; nos saluare potest & saluat, qui per ipsū ad patrem accedūt.

72. Malachiæ quoq; locus, inter præcipua probatio *Malach. 13* num argumenta producit, quo Missæ sacrificium esse verè propiciatorium probetur, quo legis sacrificia finem habitura, ipsiq; NOVVM (ita enim scribunt) aliquod sacrificium in Ecclesia esse sufficiens prædixerit. Idq; Missæ esse sacrificium. Quia nullum aliud in Testamento Novo habeatur, cum sacrificia laudis & bonorum operum etiam in veteri Testamento fuerint vilitata.

73. Sceleratam hanc sacrificum papicolarum impudentiam esse necesse est, quòd in conspectu totius Ecclesiæ Dei, locum hunc scripturæ sacræ illustrem, corrumpere & depravare falsarij non vereantur. Nam quod dicunt, scribunt, & disputant, prophetam prædixisse NOVVM sufficiens in Novo Testamento sacrificium, in locum Leuiticorum sacrificiorum, non prophetæ verba sunt: Hic enim id nusquam dicit nec scribit, sed peruersio est Diabolica Scripturæ, ex



## DISPUTATIO CONTRA

Romanensium luporum cerebro, ad Missaticum sacrificium, in horrenda coenae Dominicae prophanatione, stabilendum, quod in eo omnis istis consistat salus, excogitatum & confectum; qui perpetuò nil nisi Missae sacrificium in ore habent & sonant, ut lupo iste (lupi ipsi) agnum.

74. Sed Prophetam sua verba resonantem audire praestat, sicut Vatablus reddidit: Nō est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non tollam de manu vestra, certè ab ortu solis vsq; ad occasum eius, magnum est nomen meum inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & OBLATIO MVNDA, certè magnum nomen meum inter gentes ipsas, dicit Dominus exercituum.

75. Primū non habetur, NOVA, sicut falsarii Papistae textum corrumpunt: sed MVNDA oblatio. Ideoq; nugae sunt quod blatterant sacrificuli Missatici, de sacrificio nouo externo in Ecclesia: nec posse de sacrificijs laudum & bonorum operum, quae etiam in veteri Testamento fuerint vsitata intelligi: cum nihil istorum dicat Propheta, sed de oblatione munda loquitur.

76. Deinde si maximè haberetur, noua oblatio in nouo Testamento: sequeretur ne? ergo de Missa vaticinatus est, cuiusmodi sacrificuli Pontificij celebrant? Nequaquam. Eodem enim laborat vitio argumentum, de quo supra, sicut nec alterum sequeretur, etiam si Malachias dixisset, afferetur mihi oblatio noua vel munda. Ergo Missa pontificia est verè propiciatorium sacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum? Quis sane mentis



mentis ita argumentabitur: plus enim est in consequentia, quàm in antecedenti.

77. Sed res expedita est. Non agit ijs verbis Prophetæ de sacrificijs propriè sic dictis: Nec instituit Dominus *à vrbibus* sacrificiorum veteris & noui Testamenti. Non enim de sacrificio nouo; sed de oblatione munda loquitur, & more Prophetarum, quibus solenne est, vocabulis & phrasibus cæremoniæ veteris Testamenti, cultum noui describere Testamenti, oblationis vocabulo vtitur: sed loci tantum antithesin facit. Illic enim in vino tantum loco offerebatur: hic in omni loco, vt verba eius habent.

78. Quæ verò est oblatio ista munda, de qua Dominus vaticinatur: Nunquid Missæ sacrificium? Ita quidem Missifices, sed non est opus diuinatione aut coniecturis. Dominus enim Deus repetit: Quòd videlicet nomen suum magnum sit in gentibus, hoc est, publicè passim gloria nominis mei, diuulgatione Euangelij, fidei opera Apostolorum, eorumq; successorum facta, celebratur, & prædicatur in toto terrarum orbe. Quæ diuulgatio, celebratio, & prædicatio nominis mei, & inde secuta agnitio Dei, fides, inuocatio & gratiarum actio, quæ fit per gentes credentes: OBLATIO est illa MVNDA & incensum Deo gratissimum, sicut iam olim cecinit Dauid: Dirigatur oratio mea coram te sicut incensum, eleuatio manuum mearum, sicut sacrificium vesper. *Psal: 141* tinum.

79. Et hanc esse loci Prophetici sententiam, non autè de nouo & fictitio Missæ sacrificio accipiendum, non nostrum est commentum, sed dyos eius non modò testes,

F iij omnia



omni exceptione maiores, sed & interpretes produci-  
 mus, ex veteri vnum, ex nouo Testamento alterum. Ita  
 enim Prophetæ Esaïæ verba habent, vnde sua Malachi-  
 as est mutuatus, ideoq; ex eo interpretanda: Mittam ex  
 eis, qui saluati fuerint (Apostolos ex Iudæis) ad gentes  
 in mare, annuntiabunt gloriam meam in gentibus, & ad-  
 ducent omnes fratres vestros (spirituales) de cunctis  
 gentibus, Mincha (quo vocabulo Malachias quoq; vti-  
 tur) id est, oblationem Domino, in equis & quadrigis,  
 ad montem sanctum meum Hierusalem: OBLATIO-  
 NE Min vase MVNDO (quod Malachias iisdem ver-  
 bis repetit, oblationem mundam, vtrubiq; etiam iisdem  
 retentis vocabulis) in domum Domini, & assumam ex  
 eis sacerdotes & Leuitas dicit Dominus. Quæ verba  
 Malachias quoq; repetit cap. 3. Et purgabit filios Leuitæ  
 & erunt offerentes sacrificia in iustitia, quod est sperare  
 in Domino, & veniet omnis caro, vt adoret coram facie  
 mea &c. Non enim existimandum est, Christum Leuitas  
 tantum, id est, sacrificulos purgaturum, vt hoc impu-  
 rissimum hominum genus somniat, sed omnes ex æquo  
 Christianos, qui regale sunt sacerdotium, vocati in admi-  
 rabile lumen, vt virtutes annūcient eius qui vocauit eos,  
 proinde gens sancta, Deum verè ex fide invocans, & gra-  
 tias agens. Hæc est munda oblatio illa & non noua.  
 so. Talis fuit saluatus ex Iudæis, sacerdos, Leuita pur-  
 gatus, Apostolus gentium, Paulus, qui cum plurima de  
 gentium vocatione coaceruasset testimonia, tandem λευ-  
 ιταις se vocat, id est, sacrificulum Christi, ἁγιασθέντα sa-  
 crificantem Euāgelium Dei (quod enim vulgata æditio  
 aliter habet, nihil moramur, vt sciant pontificij vncti &  
 cali

Isa. vii.

1. Pet. 2.

Rom. 15.



MISSAM PONTIFITIAM.

ra si sacrificuli) & addit, vt fiat oblatio (M incha quo vo-  
cabulo etiam vterq; Propheta Esaias & Malachias vsi  
sunt) gentium (passiue pro ipsis gentibus, quibus ad  
Dei agnitionem suo ministerio vocatis, et adductis, Deo  
quasi litabat) accepta, & sanctificata in Spiritu sancto.  
Nulla opus est declaratione, cum ex ijs quæ iam dicta  
sunt, clara sint, & ex collatione appareat, manifestissimã  
esse verborum Malachiæ interpretationem.

§1. Sed addamus his & D. Petrum, quem Principem  
isti vocant Apostolorum, & primum Romanæ Ecclesiæ  
Episcopum, vt in ore duorum vel trium stet omne testis  
monium: qui non vt Papistæ nugantur, de re omnino di-  
uersa, sed planè eadem loquitur, & ad hunc Malachiæ Pet. 2<sup>o</sup>  
locum respicit, eumq; ex euentu interpretatur, dicens:  
Vos autem regale sacerdotium, gens sancta, populus ac-  
quisitionis, vt virtutes annuncietis, (non dicit vt Missas  
celebretis, & corpus & sanguinem Christi in eis Deo  
offeratis sacrificium verè propiciatorium pro peccatis  
viuorum & mortuorum, sed, vt virtutes annuncietis) e-  
ius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen.  
Quibus vtrumq; docet Apostolus, & qui sint sacerdo-  
tes illi noui Testamenti, nempe non peculiare sacrificu-  
lorum Missaticorum genus, quod vt dictum est ignorat  
tota sacra Scriptura, sed omnes verè credentes Christia-  
ni. Et quod sit sacrificium ab eis offerendum? Quæ ob-  
latio ista munda? Prædicatio nempe beneficiorum Dei,  
quæ sacrificium est Deo acceptissimum, & gratiarum a-  
ctio. Hæc harmonia est dulcissima, & concentus suauis-  
simus, consensus nempe summorum Prophetarum & A-  
postolorum.



*Tertull. lib. contra  
Iudeos.*

*Tertull. lib. con-  
tra Iudeos:  
Et contra Mar-  
cionem lib. 3.*

*Idem lib. 4.*

82. In hanc quoque sententiam patres plerique interpreta-  
tantur hunc Malachiae locum de oblatione non NOVA  
sed MVNDA, Tertullianus. Cur itaque postea per pro-  
phetas praedicit spiritus futurum, ut in omni terra aut lo-  
co omni offerantur sacrificia Deo, sicut ipse per Malachi-  
am, Angelum unum ex 12. prophetis dicit: Non recipi-  
am sacrificium de manibus vestris &c. indubitate ideo  
quod in omni terra exire habebat PRÆDICATIO  
APOSTOLORVM. Nam quod non DE TER-  
RENIS SED SPIRITVALIBVS SACRIFI-  
CIIS DEO LITANDVM SIT, LEGIMVS  
COR CONTRIBVLATVM HOSTIA IEST  
DEI &c. DE SPIRITVALIBVS VERO SA-  
CRIFICIIS addit, dicens: Et in omni loco SACRI-  
FICIA MVNDA OFFERRENTVR nomini  
meo, dicit Dominus. Et alibi de simplici oratione ex  
conscientia munda interpretatur, item de gloriae relatio-  
ne, benedictione, laude & hymnis, Hieronymus disertè  
de orationibus sanctorum Domino offerendis exponit,  
Missæ nulla prorsus facta mentione: nam quod addit  
mundam, ut in caeremonijs Christianorum: nequaquam  
(ut peruersè addunt pontificij) Missam quoque sacrifici-  
um citra dubitationem complexus est: sed de orationi-  
bus, quas thymiamata, & incensum vocat, quæ in coe-  
tibus & caeremonijs Christianorum fiebant, loquitur,  
Irenæus & Augustinus ad coenam quidem Domini re-  
ferunt, sed non ad oblationem corporis & sanguinis  
Christi in missa priuata, multò verò minus quod ea sit  
sacrificium verè propiciatorium pro peccatis viuorum &  
mortuorū, alijsque necessitatibus (Hoc enim est κριόμεινον) &



& illorum temporibus, nimis crassa hæc Missæ pontificiæ idolomania, è diametro cum tota veteris & noui Testamenti scriptura pugnans, nondum erat nata.

83. Ridiculum itaq; valde est & ineptum, quod recenses Missæ patroni, illud potius Domini: Hoc facite in mei commemorationē: ac illud regij Prophetæ: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi: calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo: ad mentem Malachiæ dictum censent.

84. Lupum mihi ingeminantem agnum audire videor: Quia enim verbum FACERE ET CALICEM in scriptura nominari audiunt, parum refert qua significatione positum, statim ad sacrificium Missæ referunt. De verbo FACERE suprâ est responsum. Quid verò minus ad sacrificium Missæ confirmandum, quam locus Psalmi: calicem salutarem accipiam: Quibus verbis gratitudinem suam pro salute, quæ à Domino sibi obtigerat pollicetur. Sic enim reddidit, & interpretatus est hūc locum Vatablus, Calicem SALVTVM accipiam. Salutum plurali numero dixit, quòd insigne auxilium scilicet esset, quasi dicat: in omni conuiuio gratulatorio, me hilarem exhibebo, & coram quibus hilariter bibam, at tollendo calicem, quo significem conuiuus, me illius ope seruatum, semper nomen Dei colam. Hactenus ille. Scio his offendentur hypocritæ sanctuli, qui nobis obijciunt, nos sine Cerere & Baccho non posse cœnâ Domini celebrare. Regius verò propheta multò castius, & temperantius Dei nomen inter pocula gratulatoria coram Domino, qui hoc præcepit suo populo, celebrauit, quàm isti sues in hira sua Missam.

G 87. Pau-



85. Paulum quoque ad stabiliendum Missæ suæ sacrificium propiciatorium, in aciem producunt, cum ad hoc bellum planè sit elumbis: Ex quo, non obscurè (vt illi loquuntur, vt nos verò, obscurissimè) colligi possent: Missam in noua lege, sacrificium esse propriè dictum, cum ait: Non posse nos Christi & Dæmoniorum mensæ participes esse. Quia non aliter intellexerit fieri aliquem mensæ Dæmoniorum participem, nisi quia de immolato Dæmoniis manducaret. Qui enim inquit, edunt hostias, participes sunt altaris, ergò mensæ Domini fiunt participes, qui edunt de Immolato Deo, tam in nouo, quàm in veteri Testamento.

86. Non dicam quale hoc sit argumentum, & quomodo hinc non sequatur, cœnam domini offerendam: Missa vt sit sacrificium verè propiciatorium, pro peccatis viuorum & mortuorum, vt eo ex purgatorio liberentur. (Hic enim status causæ est) Nec dicam, quod Ethnicorum sacrificijs, quæ Dæmoniis sunt oblata, mutatum, ad Missæ sacrificium transferant: Iuxta illud: Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo. Sed respondeo, loquitur Apostolus non de ara, id est de sacrificio, sed de mensa, hoc est cœna Domini, in qua eius celebratur memoria, non oblatione noua, de hac enim negry quidè: et quid ad mensam Domini congregatos facere velit, docet: id nempe, quod à Domino acceptum illis tradiderat, & ordine id enarrat: Quòd Dominus Iesus in ea nocte &c. vbi prorsus nihil de sacrificando, sed de edendo & bibendo loquitur. Sed concedamus illis, (verissimum enim est) in cœna nos edere de immolato Deo qui est Christus, cuius corporis & sanguinis



MISSAM PONTIFITIAM.

in ea sumus participes. Concedamus & hoc quod colligunt: Quia verò nullus huic participationi relinquitur locus, si nulla sit immolatio, nullumque in noua lege propriè diuinum sacrificium: apertè conuincitur in noua lege verum esse sacrificium. Concedamus inquam hæc omnia: Sed quod concludere conantur: Ergò Missa est illud sacrificium verè propiciatorium: id verò ex verbis Apostoli (cui hoc figmentum de Missa propiciatoria, nunquam vel per somnium in mentem venit) inferri nequaquam potest. Prius enim monstrandum erat, Christum, semetipsum Deo patri in cœna illa sua sacrificasse. Deinde, tale Missaticum instituisse, in noua, vt loquuntur lege, sacrificium, quod ad calendas Græcas facient. Christus ipse est sacerdos, & est ipse sacrificium. Est Deus immolatus, & sacrificatus, sed minime in cœna id factum: ideoque nec etiam in Missa offerendus, iam vt non moritur amplius, ita nec offertur pro peccatis amplius. Semel Christus oblatus est, & mortuus. Semel pontifex in sancta ingressus est per proprium sanguinem æterna redemptione inuenta, vnica oblatione consummauit in æternū sanctificandos idque in ara crucis torrida. Non in mensa. Ideo repetit, non potest nec debet, ne non consummati videantur ipsius sacrificio sanctificandi.

87. Sicut nec ex comparatione, similitudine vel vmbra illa sacrificiorum, sequitur id quod isti obscure colligere conantur: offerendum scilicet prius esse in Missa Christum, antequam eius participes fiamus: quia videlicet Israelitæ & Ethnici nõ commederint de sacrificijs, prius quàm fuerint oblata. 88. Status & quæstio obseruanda. Disputatio enim apud Corinthios non erat de aris



## DISPUTATIO CONTRA

vbi sacrificabatur. Ad has enim Christiani sibi non accedendum norant: sed de mensis, ad quas ab amicis invitabantur, & vbi Idolothytis vesebantur, in conuiujs solennibus, vt etiam Numeri 25. sacrificia enim non offerebantur in mensis, sed in his vesebantur in epulis solennibus, Carnibus illis sacrificiorum, quæ prius in templis, super altaria erant sacrificata, & oblata Idolis, imò dæmonijs, quorum fiebant participes: sicut Israelitæ in conuiujs sacrificiorum quæ Deo in altari erant oblata: Ita Christiani participes fiunt eius sacrificij, quod à Christo est oblatum sed non in mensa cœnæ Dominicæ, verum in ara crucis semel est factum. Ideoq; nec iam sacrificatur vel offertur in Missa pontificia. Verum in mensa Domini ad quam accedimus, vescimur illa Christi carne, & bibimus eius sanguinem (non tamen Capernaitico modo aut quomodo Israelitæ & Ethnici carnibus pecudū mactatarum, aut quomodo adhuc in macello veneunt, sed spiritali modo, cœlesti, & Sacramentali, verè tamen) quæ prius & semel obtulit in cruce. Sed quid hæc ad Missæ sacrificium? Quod Paulus minime instituit, vel probauit. De hoc itaq; altari, quod etiam Christus est, sicut tum non edebant sacerdotes, qui adedò pertinaciter legis cæremontas & sacrificia retinebant: ita nec hodie, sacrificuli (vt maxime sapissimè sibi edere videantur & offerre: verum tantum ad iudicium id faciunt & sumunt) vescuntur.

88. Falsò etiam coram rudi & imperita plebecula, rerumq; ignaris, gloriantur pontificij, Missam suam iam annos 1500. durasse, prorsusq; cum Apostolorum eandem

Hebr. 13.



MISSAM PONTIFICIAM.

dem esse quod quam apertum sit mendacium, omnibus constat. Nam de ritibus, quomodo & quibus authoribus paulatim creuerint, quamque nihil horum, quae iam in Missa Theatrica, magna pompa obseruantur, sit Apostolicum, notius est quam ut multis verbis & prolixo opus sit commemoratione, multo verò minus probatione. Vnus Platina sufficit, qui, nuda, inquit, primò hæc erant, & omnia simpliciter tractabantur. Petrus enim ubi consecrauerat, oratione, Pater noster &c. vsus est Postea verò cum superstitione, caeremoniæ quoque creuerunt, donec Centones isti Missæ sunt consuti, ut ex historia Missæ notum est, quibus authoribus pontificibus singula sint profecta.

89. Constat etiam Canonem, qui caput est Missæ, fons ac neruus impietatis, aliquot secula post Apostolorum tempora, à Scholastico quodam collectum. Sic enim scribit Innocentius Papa 7. Gelasius quinquagesimus primus à Petro, qui post Syluestrum vixit annis. 160. creditur Canonem principaliter ordinasse. Sed ut dicit Gregorius in Registro, quidam nomine Scholasticus, composuit precem illam, quæ super Eucharistiam sererèto dicitur. Addit Clichtoueus, alios summos pontifices diuerso tempore, alias sacri Canonis particulas, prius compactis adiecisse, instituisseque caeremonias, in ipso Missæ Canone à sacerdote, sacra faciente obseruandas.

90. Vixit autem Gelasius Canonis compilator annum circiter Domini quingentesimum. Cum verò sine Canone Missam celebrari posse negent: Nulla ergò Missa

G iij pontificia

Innocent. de sacrd.  
Alt. Myst. lib. 3  
Caput. 10.  
Greg. Mag. lib. 8  
Caput. 7.  
Clichtoueus in  
Anti Lutheris.



## DISPUTATIO CONTRA

Pontificia, toto isto tempore quingentorum annorum, est celebrata. Qua igitur fronte gloriantur pontifices, Missam suam in tota Ecclesia ubiq; , pariformiter hinc ab Apostolorum temporibus, semper fuisse obseruatam. Cum ipse Gregorius diserte scribat in hæc verba: *MO* fuit Apostolorum, *VI AD IPSAM SOLVMOMDO APOSTOLO* RVM ORATIONEM DOMINICAM, oblationis hostiam consecrarent: Et addit: Græcorum consuetudines secutus sumus, qui aut veteres nostras reparauimus, aut Nouas & vtilis constituimus.

Greg. *ibid.*

91. Ingenua confessio. Ex veteri enim Testamento cultum Leuiticum cum suis restituit Cæremonijs, externum sacerdotium, templa, altaria, vestes, thymiamata, aquam lustratam &c. NOVA AVTEM PLVRIMA, ADDIDERUNT ORDINE PONTIFICES ROMANI. Et ipse Gregorius ex apparitione spectrorum edoctus, confictum purgatorium, & exequias atq; Missas, pro liberatione miserarum animarum ex illo.

In precedentiibus. 88. 89. 90.

92. Et tamen si dijs placet, hæc omnia iam ad Apostolos Domini Authores referuntur, quæ post quingentos & sexcentos annos, à pontificibus Romanis diuersis, diuerso tempore, Missæ pontificiæ sunt addita, donec Pandora illa, coenæ Dominicæ prophanatrix malorum omnium Lærna procrearetur, Ecclesiæq; obtruderetur. 93. Non tamen negarim alicubi apud veteres vocabulum Missæ reperiri. Res verò, hoc vocabulo à Papistis comprehensa, quam Ecclesiæ iam prætextu vocabuli huius obtrudunt, hoc est, Missa illa pontificia, quod nempe coenæ Dominicæ celebratio, ista pompa, additionibus, & cane muto: sacrificium sit verè propiciatorium pro peccatis viuorum & mortuorum, ex ficto illo purgatorio



gatorio liberandorum. & pro alijs necessitatibus: mi-  
nimè apud illos habetur.

94. Quamquam enim in versione latina Ignatij, Hie-  
rarchiæ Ecclesiasticæ Dionysij, Origenis, Athanasij,  
Nazianzeni, Chrysostomi, Epiphaniij, & historiæ Ec-  
clesiasticæ Eusebii, & Tripartitæ, (qui omnes Græco  
sermone scripti sunt) sæpius occurrat vocabulum Missæ:  
tamen certum est, illud apud eos nusquam extare: sed  
vilitata sunt apud illos *μυσήριον, κοινωνία, λαβρυγία, σὺναξις, εὐ-  
χαριστία, ἐργασία, ἐκκλησιαζαυ, συνάγαγη, ἐπιτελεῖν*. Interpretum  
itaq; verbum est, Missa, non horum authorum.

95. Iam quod cœna Domini sacrificium quoq; dicitur  
à patribus, si dextrè & secundum fidei Analogiam, scri-  
pturæq; sacræ consensum, eiusq; auctoritatem, accipia-  
tur, nihil nostræ obstat causæ. Non enim ideo mox se-  
quitur, Missam esse sacrificium propiciatorium pro vi-  
uis & defunctis offerendum, ut per eius oblationis me-  
ritum è purgatorij poëtici poenis liberentur, quod nun-  
quam Patribus illis in mentem venit. Citatur Ignatij lo-  
cus ex Epistola ad Smyrnenes: Non licet sine Episco-  
po, sacrificium neq; immolare, neq; Missas celebrare:  
Vbi Missas prorsus non habetur in Græco. Sed *δοχὴν ἐπι-  
τελεῖν*, quod est epulas peragere. Sicut Gen. 21. Abra-  
ham scribitur fecisse *δοχὴν μεγάλην*, quo die ablactatus fu-  
it Ishaac. Idem vocabulum extat, Luc. 5 & 14. pro con-  
uiuio, seu epulo. Sicut & apud Socratem libro 3. Cap. 9.  
Melitij sequaces, proprias Missas faciebant, redditum  
est: cum sit *ἰδίᾳ συνήγοντο*, id est, seorsim conveniebant  
vel suos coetus habebant. Intelligunt ergo nō Missas pō-  
tificias, quas eius tēporis Ecclesia omnino ignoravit, sed  
ut verba etiā eorū sonant, publicos coetus, & conven-  
tus populi ad faciendā sacra, videlicet audiendum verbū  
preces



preces & coenam Domini. Hæc à ritu veteris Testamenti sacrificia & immolationem vocabant: Ad ista ergo non licebat alijs Ecclesiam conuocare, nisi Episcopus. Sicut verba Ignatij alius interpretes ita reddiderunt: ne Episcopo baptizare ne liceat; nec omnino sacrificia offerre oblationes, epulasue peragere: sed de huiusmodi sententia Episcopi consulatur, ut gratæ Deo, prudenter, riteq; fiant omnia.

96. Viuntur quidem etiam Patres vocabulo sacrificij & oblationis de coena Domini, sed non de sacrificio Missæ opere, nec propiciatorium esse intelligunt sacrificium, verum generaliter, & per Catechesin, ex cuius titulis veteris Testamenti mutuato vocabulo, quod memoria sit oblationis in cruce factæ, & sic sacrificium commemoratiuum. Quia memoria sit sacrificij, siue passionis Christi, qua se Deo patri in cruce obtulit, quæ verbis & Sacramentis in coena celebratur. Vnde & apostolus inquit: Quotiescunq; panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat: hoc est, prædicare beneficia, & merita passionis, & mortis ipsius. Planè ostendens, quale sit sacrificium, videlicet laudis, & gratiarum actionis. Sed nequam Patres duplicis actionis, & institutionis in coena meminerunt, quod videlicet alia sit actio vel communio coenæ Dominicæ, eiusq; in ea corporis & sanguinis distributio ac sumptio pro Ecclesia instituta: Aliud per se, actio sacrificij in Missa, qua Christum Deo patri coelesti offerat sacrificium pro viuis & defunctis, & hoc modo applicet meritum Christi alijs pro quibus offertur. Ita enim Augustinus scribit. Hebræi in victimis

2. Cor. 11.



pecudum, quas offerebant Deo multis & varijs modis sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futura victimæ, quam Christus obtulit, unde iam Christi-ani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant Sa- cro sancta oblatione, & participatione corporis & san- guinis Christi. Et alibi. Huius sacrificij Caro & san- guis ante aduentum Christi, per victimarum similitudi- nem, promittebatur, in passione Christi per ipsam verita- tem reddebatur. Post ascensum Christi, per Sacramen- tum memoriæ celebratur.

*August. contra  
Faustū Maniche.  
lib. 20. Cap. 18.*

97. Et multa significat vox sacrificium, sicut multa sacrificiorum in scriptura sacra habentur genera. Primū enim Christus oblatus, & victima pro totius humani generis peccatis; in ara crucis factus, per veteris testa- menti sacrificia Typicē adumbratus: Verum, vnicum, & verē propiciatorium sacrificium est pro peccatis vi- uorum & mortuorum.

98. Adhæc vetustas idem vocabulum in genere pro cultu usurpauit, quia mos sacrificandi pecudes & Iu- dæis & Ethnicis fuit vsitatus, & quia Ecclesia primitiua, ex Iudæis & gentibus fuit collecta, ideoq; coenā ipsam Domini, quæ præcipuus Ecclesiæ est cultus & care- monia, sacrificium Noui Testamenti, & oblationem vo- carunt, eamq; appellationem alijs multis & varijs pie- tatis exercitijs, quæ in celebratione coenæ Dominicæ, in qua memoria illius sacrificij agitur, concurrunt, tri- buit; precatiōni, gratiarum actiōni &c. sicut Augusti- nus, & alij quoq; patres. Quoniam inquit singulari & solo vero sacrificio, pro nobis Christi sanguis est effu- sus: sacrificium Ecclesiæ, laudis est in gratiarum actio-

*August. contra  
aduersarium le-  
gis & proph. lib.  
1. Cap. 18.*

H ne



ne. Vnde & Eucharistia, coena Domini vulgò semper est dicta, quod pro summo isto beneficio gratias ageret Ecclesia in eius celebratione, & sacrificium Eucharistici ab isto fine est appellata.

99. Et quia vsitatum in primitiua Ecclesia fuit, vt coenae Domini participaturi, panes & vinum, & alia munera ad altare, siue mensam Domini offerrent, vnde partes, quantum praesentibus sufficebat, sumebantur, quae in Eucharistiam consecrabantur: Reliqua vero in vsus Ministrorum & pauperum distribuebantur. Ideo & sacrificia, & oblationes, munera ista quae contulerant, dicebantur. Sicut extat Canon: Decernimus, vt omnibus

Concil. Matiscor-  
nense. 2. Cap. 4.  
Cypri. sermone  
de Elemosi.

1. Cor. 9. Philip.  
vlt.

August. Epist. 221.

dominicis diebus altaris **OBLATIO**, ab omnibus viris & mulieribus **OFFERATUR**, tam panis quam vini. Similiter & Cyprianus: Locuples & diues, Dominum celebrare te credis, quae corbonam omnino non respicias, quae in Dominicum sine **SACRIFICIO** venis & parte de sacrificio quod pauper **OBTULIT** sumis. Quem admodum & Apostolus, collationem pecunae, & Eleemosynas *διακονίαν τῆς λαοβοργίας* vocat, & alibi: repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quae misistis in odore suauitatis **HOSTIAM** acceptam, Deo placentem. August. quoque dicit, **MULIERES OFFERRE SACRIFICIUM AD ALTARE DOMINI vt per sacerdotem Deo OFFERRENTUR**,

100. Sicut & propter preces, quae in coenae Domini celebratione adhibentur, & sacrificium dicuntur, & sunt Deo gratissimum: ipsa tota actio, & administratio coenae Domini, sacrificium, hoc nomine dicitur à veteribus, idque ex scriptura sacra, ad Hebraeos. Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad patrem cum clamore



MISSAM PONTIFICIAM.

clamore valido & lachrymis offerens exauditus est. Et Tertul. lib. ad  
scapulam.  
per ipsum offeramus hostiam laudis Deo semper. Ter-  
tullianus, de sacrificio, quod Ecclesia pro alijs applicet  
seu offerat in hæc scribit verba: Itaq; & sacrificamus  
pro Imperatore, sed Deo nostro & ipsius, sed quomodo  
præcepit Deus, pura prece. Et iterum: Offero ei opimã Idem in Apolog.  
& maiorem hostiam, quam ipse mandauit, orationem de  
carne pudica, de animo innocenti. Irenæus: vult nos Iren. lib. 4. Cap.  
34.  
Dominus offerre munus ad altare frequenter sine inter-  
missione. Est ergo Altare in cœlis. Illuc enim preces nos-  
tra, & oblationes diriguntur vt ad templum. Chry- Chrysof. in 2. ad  
corinth. homil. 18.  
sost: Quin & in precibus quis viderit, populum multum  
simul offerre, cū pro energumenis, tū pro pœnitentibus.  
Communes enim preces fiunt, & omnes vnã dicunt  
orationem.

101. Quemadmodum & Carnis mortificatio, & omnia  
opera bona, cum à scriptura sacra, tum à patribus, sacri-  
ficia & oblationes dicuntur. Sicut Apostolus hortatur Rom. 12.  
Christianos, vt offerant corpora sua, hostiam viuam-  
sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum. Et Cyrillus,  
adhibemus autem exercitia spiritalia, scilicet mentalia.  
Nam illi qui ex sanguine sunt Israel, offerebant Deo  
oues, & boues, turtures & columbas, & ex fructibus,  
similam oleo conspersam, & lagana, & thura, Nos autem Cyroll. contra  
Iulianum lib. 10.  
tam crasso Ministerio relicto, præceptum habemus, vt  
tenue ac spirituale, & subtile perficiamus. OFFERIMVS  
enim Deo in odorem suauitatis, virtutes omnigenas: Fi-  
dem, Spem, Charitatem, laudes &c. Istud enim SA-  
CRIFICIUM minimè carnale, simplicem & secun-  
dum naturam incorpoream, decet Deum. Et mentalis  
fragrantia: OBLATIONES sunt verè honestæ vitæ modi.

H ij Ita



## DISPUTATIO CONTRA

Ita enim alicubi dicit ipse: Misericordiam volo, & non sacrificium, & agnitionem Dei, magis, quam holocausta. Et Augustinus: verum SACRIFICIUM est omne opus bonum, quod agitur, ut sancta societate inhaeremus Deo, relatum ad illum finem bonum, quo veraciter beati esse possumus,

August. de ciuit. Dei, lib. 10. Cap. 6

102. Quin & ipsa coena Dominicae administratio Patribus sacrificium & oblatio dicebatur, quod memoria sit & commemoratio, vnici sacrificij Christi, semel in cruce peracti, quo Christus se patri obtulit & immolauit

August. Epistola 23. ad Bonifa.

hostiam in odore suauitatis. Sicut antea ex Augustino probatū. Et idem alibi coenam Domini immolationem vocat. Nonne inquit semel immolatus est Christus in semetipso: Et tamen IN SACRAMENTO non solum per omnes Paschae solennitates, sed omni die populis immolatur. Nec vtiq; mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari. Si enim SACRAMENTA quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine, plerunq; etiam nomina ipsarum rerum accipiunt.

Lib. 4 sen. dist. 12.

103. Quemadmodum etiam Magister sententiarum eandem Domini coenam, non immolationem solum, sed etiam sacrificium dici asserit, propter memoriam, recordationem, & representationem vnici Christi sacrificij semel in cruce peracti: post haec inquit quæritur, si quod gerit sacerdos, propriè dicatur sacrificium vel immolatio: Et si Christus quotidie imoletur, vel semel tantum immolatus sit: Ad hoc breuiter dici potest, illud quod offertur & consecratur à sacerdote, vocari sacrificium



MISSAM PONTIFITIAM.

eium & oblationem, quia memoria est & representatio veri sacrificij, & sanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et semel Christus mortuus in cruce est, ibiq; immolatus est in seipso. Quotidie autem immolatur in sacramento: quia in Sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel. Sed quid hæc ad Missam pontificiam, quam verè propiciatorium esse sacrificium, ad ravim vsq; clamitant hodie. Cum tale nihil Patres dicant,

104. Sicut & Chrysostomus, quo consilio cœna Domini oblatio sit dicta, alibi his verbis docet. Quid nos? *Chrysost. in Epist. ad Hebræos*  
 Nonne per singulos dies offerimus? OFFERIMVS *Homil. 7.*  
 quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius. Et mox ipsam offerimus, & nunc, quæ tunc oblata, consumi quidem non potest: Hoc autem quod facimus, in COMMEMORATIONEM quidem fit eius, quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei commemorationem. Verum id iam à feribus pontif. est damnatum.

105. Quin imò, & oblationes pro defunctis se facere & annua Martyrum sacrificia: Item in memoriam defunctorum celebrare se scribunt Patres. Quemadmodum in Lithurgia Chrysostomi habetur: Offerimus tibi rationalem hunc cultum pro requiescentibus in fide, maioribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, Præconibus, & Euangelistis, Martyribus, Confessoribus, continentibus, & omni Spiritu in fide initiato, &c.

106. Hæc certè de propiciatorio sacrificio Missæ, nemo nisi demens intelliget: Siquidem antea istos cum Deo vivere, eiusq; conspectu frui, & beatos esse, Christianus ambiget nullus: sed pro gratiarum actione erga Deum, quod talia, e tanta Ecclesiæ suæ lumina, tanque salutare Doctores dederit, sunt accipienda. H iij Quod



107. Quod itaq; pontificij sacrificij Baalitæ vociferantur: In primitiua Ecclesia hinc ab Apostolorum temporibus Missa fuit celebrata. & dicta & habita sacrificium, oblatio, immolatio, item pro defunctis facta: ergo verè propiciatorium est sacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum offerendum, pro redemptione animarum ex purgatorio. Vt habent verba Canonis: Nemo est qui non videat, non modo nimis liberaliter sibi sumere pontificios id quod volunt: sed etiam perfidè a sceleratè attexere, quod erudita vetustas, nec sensit, nec scripsit, sed temporis progressu, posterij minus attentè verba & sententiam patrum considerantes, eò tandem peruenerunt, vt horrenda ista cœnæ Dominicæ prophanatio, in Missæ celebratione, inde sit enata.

108. Nequaquam igitur sequitur: Missa à patribus dicta est sacrificium: Ergo est verè propiciatorium sacrificium pro viuis & mortuis. Plus enim est in consequentia quàm in antecedente, & quo sensu ipsi vocabula sacrificij, oblationis, & immolationis in vsu cœnæ Dominicæ acceperint, bona fide ex ipsorum verbis & sententia ad oculos est demonstratum.

109. Quod si uerò maximè non modò non aliena ipsi affingeretur sententia, sed etiam è scriptorum Ecclesiasticorum testimonijs euinci posset, idem planè sensu & scripsisse eos, quod hodie Romanenses sacrifices in Missatico suo sacrificio (quod tamen longissimè ab illis abest) quid tum postea? Num ideo statim pro tali agnoscendum erit: Absit. Debetur quidem scriptoribus Ecclesiasticis suus honor: sed neq; ipsi hoc sibi sumunt neq; nos illos contra Christum, eiusq; Apostolos uerè Ecclesiæ Patres, super quorum fundamentum Ecclesiæ

Eph. 2.



MISSAM PONTIFICIAM.

est exâdificata, audire iubemur. De filio enim suo castus clamat Pater: Hunc audite. Et Apostolus: si quis aliud Euangelium anuntiauerit, Etiam si Angelus de celo, nedum Patres aut pontifex Romanus, Anathema sit.

110. In quam sententiam, & quidem de hac ipsa materia Cyprianus Martyr scribit: Nam si in sacrificio quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utique nos id audire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum mandauit. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit: sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet sed Dei veritatem: quod si nec minima de mandatis Domini licet soluere: quanto magis tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis, & nostræ redemptionis Sacramentum pertinentia, fas non est infringere, AVT IN ALIUD QVAM IN QVOD DIVINITVS EST INSTITVTVM, humana traditione mutare: Et iterum Nam si sacerdotes Dei & Christi sumus, non inuenio, quem magis sequi, quam Deum & Christum debeamus.

*Cypria. lib. Epist.  
3. ad Cecilium de  
Sacramento  
licis.*

111. Ex his itaque euidenter apparet, Romanenses fucum facere imperitis, dum vociferant: Missam, hinc ab Apostolorum temporibus pariformiter celebratam, & ab erudita vetustate, sacrificium esse dictam, & habitam. Ergo coenam Domini transformandam in sacrificium verè propiciatorium: Cum Missæ vocabulum, pro coena Domini acceperint, nihilque minus, quam de propiciatorio sacrificio in Missa pro peccatis viuorum & mortuorum, ut per illius meritum ex poenis purgatorij fictitij liberentur, intellexisse, cum vnicum sit Christi propiciatorium sacrificium semel (quod propter istos repetendum est, si quo modo vel tandem audirent) in cruce oblatum. 112. Quod



Disput. Ingolst.  
de Missæ Sacrif.  
Conclus. 113.

112. Quod ergo sesqui pedalibus vtuntur verbis, dicentes: Atq; vt norint Hæretici, quid ipsis sentiendū sit EX COMMUNI ECCLESIAE PATRVMQ; VE CONSENSV, Missæ sacrificium, propiciatorium esse statuimus, quodà Tridentina Synodo sub Anathemate definitum est.

113. Primum, bona verba, quaeso. Non enim Hæretici sumus, neque in omnem æternitatem pontifici Ecclesia quæ læna, est colluies, & sentina innumerorum hæresey & Satanæ synagoga, errorumq; infinitorum mater fecundissima, hoc probabit vnquam. Deinde scimus, & quidem melioribus fundamentis edocti, quædā isti, quid nobis & de Missæ pontificiæ sacrificio, & ipsis, ex Christi institutione, & communi Apostolorum primitiuarq; Ecclesiæ consensu, sentiendum sit: est nempe horrendam cœnæ Dominicæ, & plusquam Diabolicam prophanationem, de qua in sacrosanctâ scriptura prophetica Apostolica & Canonica, non modo nihil habetur, sed cum Domini nostri Iesu Christi institutione, è diametro pugnare, vtpote in qua syllaba nulla, verbum nullum prorsus habeatur, asserimus, vt norint Papicolæ Antichristiani, Idololatræ turpissimæ sacri legi, & in saluatoris nostri vnici sacrificium in cruce oblatum, blasphemî. Cumq; secundum Cyprianum, in sacrificio quod Christus est, non nisi Christus sequendus, idem certè audiendus, & quod ipse fecit, in eo faciendum: Hic porrò vt ex verbis institutionis supra est demonstratum, non seipsum in cœna sua vltimâ, sed in cruce, Deo patri suo cœlesti obtulit. Cum igitur ex hoc probare non possint, Missæ suæ sacrificium propiciatorium



torium, Ideo ad Ecclesiæ suæ & patrum consensum, & Tridentini Conciliabuli decretum confugiunt.

114. Cur verò non ad scripturam sacram potius? Ad *Isa. 8.*  
 legem enim magis & ad Testimonium: Et si quis loqui- *1. Pet. 4.*  
 tur in Ecclesia, loquatur sermones Dei, non hominum,  
 Ecclesia vera, est, vt est Christi sponsa, vocem eius audi-  
 at. Et quis enim nos Alexandrum pontificem Romanū,  
 Origenem, & alios huius farinae homines quos iam alle-  
 gant isti, audire præcepit, potius quàm Dei Apostolos  
 loquētes, quos Christus Doctores Ecclesiæ suæ audien-  
 dos præcepit? Non certè Deus Pater, non filius Chri-  
 stus, nec spiritus sanctus, qui per prophetas & Aposto-  
 los est locutus. Non igitur quid vel pontifices Ro-  
 mani vel Patres vel Matres de Missæ sacrificio dicāt, si  
 à Christi institutione recedant, attendimus. In horum  
 enim nomina non sumus baptizati nec in verba eorum  
 iurati: Sed quid nobis cœlitus commendatus Doctor,  
 dixerit, fecerit, & instituerit, Hinc nobis legant, Roma-  
 nenses, Missam esse verum propiciatorium sacrificium  
 pro viuīs ac defunctis, alijsq; necessitatibus. Sic Diuus  
 quoq; Augustinus: Audi, dicit Dominus: non dicit Do- *Epistola. 48.*  
 natus, aut Rogatus, aut Vincentius, aut Hilarius, aut  
 Ambrosius, aut Augustinus: sed dicit Dominus: Porrò  
 conciliabuli Tridentini Decreta Sauiæ exosculentur,  
 venerentur, adorent. Nos vere Apostolica freti autori-  
 tate ea, Anathematizamus.

115. Deprauant, & vi pertrahunt Patrum dicta, ad suæ  
 Idolatricæ Missæ confirmationem. Vt quod Chry-  
 sostomus citatur, qui scripserit, pro terræ Marisq; &  
 vniuersis orbis fructibus sacrificam. Vbi nō est existimā-  
 dum,

I dum,



dum, quod senserit in cœna corpus Christi elusq̄ sanguinem pro fructibus terræ offerri: sed sicut supra ostensum, quod verbū sacrificare pro precibus & gratiarum actione accipiant, sicut hoc quoq̄ loco pro precibus, quæ in cœnæ Dominicæ celebratione, pro fructu proventu fiebant, accipitur. Quemadmodum & ex Tertulliano probauimus, qui dixit: Sacrificamus pro Imperatore sed pura prece.

Supra. 100.

115. Sic Missam Dæmones fugare Augustini auctoritate perperam comprobare nituntur, corrupta & deprauata eius sententia. Quod enim Augustinus precibus piorum disertè tribuit: id Sauræ Missæ suæ sacrificio adscribit: Quod ut ab omnibus intelligatur, verba Augustini adscribere libuit: Vir Tribunitius Hesperus &c. Cum afflictione animalium & seruorum suorum domum suam Spirituum malignorum vim perperiti con-

August. de ciuit.  
Dei. lib. 22. Cap. 8

perisset, rogauit nostros me absente præbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cuius ORATIONIBVS cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi ORANS quantum potuit ut cessaret illa vexatio, Deo patris miserante, EXAUDITVR. Hactenus ille. Hic ceteri nihil vident nisi sacrificium, ORATIONES non audiunt. Quia venter caret auribus.

117. Porro quod Apostolus dicit: Omnis pontifex constituitur, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Non ad sacrificulos Missaticos hæc pertinent: sed dicuntur de veteris Testamenti sacerdotibus, & pontificibus, qui fuerunt Typi Christi vnici veri summiq̄ sacerdotis, & sacrificij Noui Testamenti, inter quos eorumq̄ sacerdotium & hunc, instituit Apostolus collationem Christi



MISSAM PONTIFICIAM.

Christum eiusq̄ sacrificium longè præstare Leuitico. Sed quid hæc ad Missifices, & Missam pontificiam: quæ nequaquã Christi est sacrificiũ, quod est sufficiens. Semel in sancta Christus pontifex Maximus ingressus est, æterna redemptione inuenta, vna oblatione consummavit in æternum sanctificandos, omnibus & singulis perpetuò mutuò sibi succedentibus hominibus & temporibus sufficiens Saluator, qui Saluare potest semper ad Deum accedentes per ipsum.

118. Ita futile est argumentum, quod pro confirmatione Missæ suæ adferunt: Dona & orationes eundem quasi finem spectant. Sed orationibus Deum nobis reddimus propiciũ. Ergo etiam Missæ sacrificio, quod donum est excellentissimum. 119. Non precum dignitate, aut propter earum recitationem, (vt Hypocritæ & Ethnici imaginantur, Christo teste Matth. 6. qui putant se in multiloquio suo exaudiri) Deus redditur propicius, sed quia ex fide in Christum petimus remissionem peccatorum à Deo: gratis, ex misericordia, remittit nobis illa propter meritum & passionem filij sui, sicut in parabola Regis docet Saluator. Deinde precibus magis petimus, & accipimus à Deo, quàm vt eidemus. Reddimus quidem pijs precibus Deo laudem misericordix, veritatis, clementix, bonitatis, & omnipotentix: Sed principaliter ijs petimus aliquid ab eo, sicut mendicus stipem à Diuite, fretus eius clementia, & misericordia. Sicut & cœna Domini, nequaquam est sacrificium, quo nos Deo patri offeramus filium ipsius: sed Sacramentũ est, in quo nos accipimus corpus & sanguinem Christi, in fidei nostræ confirmationem, & pignus. Ideo nihil aliud sequitur ex isto argumento,

Matth. 6.

I ij quàm



quam quod iam à nobis dictum. Sed istis hominibus omnis sermo est de Missæ sacrificio, quæ neruus est regni pontificij, cuius nundinatione regna & thesauros mundi tanquam reti attraxerunt Pontificij.

119. Sicut nec hoc verum est, quod asserunt, idem plene esse sacrificium crucis, & Missæ, substantia, operatione & effectu, quia utrobicq; corpus & sanguis quæ in cruce oblata sunt adsit. R. Verum est, idem utrobicq; corpus & sanguinem Christi, & in cruce, & in cœna Domini esse, Seruata prima eius institutione inuiolata. Sed idem utrobicq; esse sacrificium, pernegamus. Quia ad sacrificium plura requiruntur, quàm materia (alioqui & sumptus cœnæ Dominicæ, in qua verè exhibetur Corpus & sanguis Christi, sacrificium esset expiatorium) Nempe actio peculiaris, oblatio, finis & vltus, diuinitus ad hoc principaliter, instituta, vt offerantur pro peccatis hominum. Hæc in cœnæ institutione non habentur, sed ab hominibus affinguntur impiè & sacrilegè.

120. Nam quod has Apostoli sententias de sacrificio Christi cruento interpretantur: Missæ verò sacrificium vocant incruentum, atq; ad hoc confirmandum, testimonia quædam ex Patribus adducunt: Et Apostoli & Patrum testimonia deprauant & corrumpunt. Frituola enim & falsò conficta est distinctiuncula, duplicis sacrificij Christi, in cruce, & cœnæ oblatione. Epistola enim ad Hebræos non duplicis, sed simplicis Christi vnus sacrificij & oblationis mentionem facit & generaliter absq; omni distinctione & exceptione loquitur. Per proprium sanguinem, SEMEL, Christus ingressus est in sancta, æterna redemptione inuenta: Non vt sæpius offerat

Hebr. 9.



MISSAM PONTIFITIAM.

offerat semetipsum, alioqui oportebat illum frequenter  
 pati. Item Christus semel passus est, vt multorum pec-  
 cata tolleret, non necesse habet quotidie pro peccatis of- Hebr. 10.  
 ferri. Item, vbi est peccatorum remissio, non est amplius  
 oblatio pro peccato. Et disertè negatur ibidem incruen-  
 tum, sacrificium propiciatorium. Absq; sanguinis enim  
 Effusione (vt habent verba Apostoli) non fit peccato-  
 rum remissio, & si sæpius offeratur Christus, oportere  
 etiam eum sæpius pati & mori, oportere item mortem in  
 tercedere, vt per oblationem pro peccatis, promissionem  
 æternæ hæreditatis accipiant, qui vocati sunt.

121. Pontificij ergo qui sua opinione in Missa sua Chri-  
 stum offerunt sacrificium verè propiciatorium pro pec-  
 catis viuorum & mortuorum, quantum quidem in ipsis  
 est, Christum toties crucifigunt, quoties Missas suas de Hebr. 10.  
 murmurant, sicut ibidem Apostolus testatur, quosdam  
 sibi metipsis crucifigere filium Dei, & ostentui habere  
 quod fit in Missa. Tã atrox itaq; scelus & detestanda est  
 abominatio, Missa Papistica. Terribilis ergo manet  
 sacrifices istos expectatio iudicij, & ignis feruor, qui  
 consumpturus est aduersarios istos.

122. Quod verò Patres, Coenam Domini appellauerunt  
 sacrificium incruentum, & oblationem vel immolatio-  
 nem exanguem, vt Athanasius, Cyrillus ac Nazian-  
 zenus: ô sacrificia mittentes incruenta sacerdotes &c.  
 Non sentiunt coenam Domino offerendam vt sacrifici-  
 um sit propiciatorium pro peccatis viuorum & mortuo-  
 rum, Sed distingunt inter cultus veteris & Noui Testa-  
 menti; in illo fuerunt sacrificia quæ sanguinis effusione  
 constabant; In Nouo Testamento cultus sunt & sacri-



## DISPUTATIO CONTRA

Epiphani. lib. 1.  
Tom. 3. contra  
Marcionistas.

Cyrill. Epistola  
contra Nestoriti.

ficia (vt ita loquamur) incruenta, inter quos coena Domini praeipuas habet partes: Sicut ex Epiphaniij verbis manifestum est, qui coenam Domini nouum vocat sacrificium, quod veteribus legalibus sacrificijs succedens, Christianis iuxta Christi institutionem celebretur. Quod admodum & Cyrilli verba & sententiam peruertunt, sic enim ea habent: Annunciantes enim eam, quae secundum carnem est, mortem vnigeniti filij Dei, hoc est, Iesu Christi, & ex mortuis resurrectionem inq̄ coelos assumptionem confitentes, incruentum in Ecclesijs perficimus cultum (λατρίαν, non θυσίαν) accedimus ad mysticas benedictiones, & sanctificamus, efficimurque participes sanctae carnis, & preciosi sanguinis nostri orniū Saluatoris Christi. Deinde omnino sic vocant, quod commemoratio sit vnici sacrificij Christi in cruce peracti per Catachresin, sicut agnus paschalis, sacrificium paschale dicitur, de quo Augustinus multis scribit Epist. 23. ad Bonifac. Et 120. ad Honoratum, de quibus supra copiosè. 123. Tantum verò abest, vt Missa pontificia, sacrificium sit corporis & sanguinis Christi, vt etiam pugnet cum coena diuinitus instituta. Christus enim hoc vult in se fieri, quod ipse fecit. Et praeter ea de quibus haec est dictum, de Sacramento & sacrificio: Christus non obtulit Deo patri in coena, sed dedit, & dispensauit Discipulis suis eisq̄ comunicauit suum corpus & sanguinem. Sacrificuli Deo offerunt in Missa, nemini dispensant aut communicant, sed soli comedunt consecratam hostiam. Coena Domini publica est actio: Missa, privata actio sacrificuli, ædituo & catello praesentibus. Christus



MISSAM PONTIFITIAM.

stus vult in sui commemorationem fieri, hoc est, vt  
Apostolus interpretatur, prædicationē & annunciatio-  
nem suæ mortis. In Missa tantum abest vt mors Domini  
prædicetur, vt etiam mussetur, & demurmuretur, ne  
exaudiri à circumstantibus possit. Insuper & vulgò  
lingua ignota, vt si maximè quis propius assistens audiat  
tamen nò intelligat. Apparatu deniq; omni caruit cœna  
Dominica, Nuda primò omnia, inquit Platina: Iam  
verò quis apparatus? quanta pompa? quæ gesticulatio-  
nes histrionica? &c.

124. Quod verò ab Apostolis orationem Domini-  
cam administrationi cœnæ additam obijciunt: Et Apo-  
stolum dixisse: Cætera, cum venero, disponam, & hinc  
inferunt, Prælati quoq; Ecclesiæ licuisse addere alia,  
Negò consequentiam. Quia non par est vtrorumq; au-  
toritas. Apostoli enim longè sublimiori sunt cõstituti lo-  
co, quàm alij quicunq; successores eorum etiam veri, nedũ  
laruati Episcopi: Quicquid nugent adulatores pontificij  
quod homo ille peccati & bestia Romana, par sit Pe-  
tro, Paulo maior. Et quidem fieri potuit, quod Apostoli  
in cœnæ Dominicæ celebratione, precationem Domini  
cam dixerint, sed nullam ab ipsis Missam priuatam pro  
vuis & defunctis celebratam, certum est. Neq; enim  
Missa multis seculis aliud fuit, quam cœna Domini, seu  
communio corporis & sanguinis Christi. Præterea a-  
lia est adia phorum ratio, in quibus licet ministris Ec-  
clesiæ propter ordinem & decorum aliquid statuere,  
vt omnia fiant secundum ordinem & decenter: Mo-  
do absit in his opinio meriti, necessitatis & cultus:

Itena



Item multitudo, qua impediuntur veri cultus, & magis necessaria, vt in coena Dominica consecratione, etiam non addita precatione Dominica, tamen ritè est consecrata. Alia verò est ratio cultuum & sacrificiorum propiciatorum, quæ non humana, sed sola diuina instituuntur auctoritate. Christus verò in sua coena, vt sæpè dictum est, non sacrificij oblationem instituit, sed communionem & dispensationem corporis & sanguinis sui Ecclesiae. 125. Neq; nobis tam certamen est de caeremonijs & ritibus, canticis, introitu, Kyrie, & in terra pax, lectione Euangelij, & epistolæ, credo, sanctus, agnus Dei, si cut ne de vocabulis Missa, sacrificium, &c. si dextrè & eo modo, quo dictum est, accipiantur. (Non enim instituimus *λογομαχίαν*) quàm de re ipsa, quæ est in controuersia posita: Num videlicet, coena Domini ad hoc à Christo instituta, ab Apostolo & Euangelistis ita descripta, atq; Ecclesia primitiua obseruata, vt corpus & sanguis Christi in ea à sacrificiis eo modo initiatis, his caeremonijs offeratur (vt nunc fit in Missa Papistica) hocq; fine celebretur, vt eius oblatio, Deo patri coelesti facta, sacrificium sit verè propiciatorium pro peccatis viuorum & mortuorum, & alijs necessitatibus: quodq; tantæ efficaciam, vt valeat ex opere operato, & ex opere operantis de congruo & condigno, vt isti impudenter absq; vllius Scripturæ testimonio docere, non verentur: Hæc inquam in controuersia sunt posita, cum de Missa disputatur. Ideo fatentur, hæc aliqua (imò verò omni) ex parte fidei certitudine carere.

126. Verùm absurdiora sunt hæc & alia, quæ de applicatione Missarum, earumq; efficacia, sicut & de merito



MISSAM PONTIFICIAM

& satis factionibus operum humanorum, Pontificis dicuntur, quam, vt proluxa opus sit refutatione, cum non modo horū nihil ex cœne Dominicæ institutione, primitiuaq; Ecclesiæ Apostolicæ praxi, & vsu, totaq; scriptura canonica & Apostolica docere possint, sed etiam in sanguinem, passionemq; Christi sint contumeliosa & blasphema, cui tantum detrahunt, quantum illis tribuunt: Nec pro bonis operibus Christus est mortuus, vt ea suo sanguine sanctificaret in satis factione pro peccatis, sed pro peccatis humani generis est passus, vt ea expiaret, nosq; suo sanguine ab eis mundaret. Nec per Missam sacrificuli histrionicam, merita Christi nobis applicantur sed alius modus est & medium applicationis de quo supra è scriptura est dictum.

*Supra. 25.*

127. Sed nec in Missa sua priuata sacrificulos, Corpus & sanguinem Christi habere: verum vulgarem tantum panem & vinum asserimus. Etsi enim verba primæ institutionis recitent, quia tamen voluntas (quæ sola facit Sacramentum) Christi instituentis non obseruatur: Ideo Sacramentum non est: sicut Gabriel quoq; docet: verba inquiring consecrationis sunt causa sine qua non, & non causæ propriæ dictæ ex natura rei. Et mox: Et omnino sunt causa sine qua non, nec propter hoc oportet ponere virtutē aliquam supernaturalem, per quam sint causæ illo modo: SED SVFFICIAT SOLA VOLVNTARIA INSTITVTIO DOMINICA. Sic & Bonauentura, in Compendio Theologicæ lib. 6. Cap. 1. r. veritatis: Sciendum quod in Sacramento altaris non tantum requiritur intentio consecrantis, sed etiam intentio istud Sacramentum instituentis.

*Gabriel Bihel  
super Canonem  
Missæ Lect. 47.  
litera. V.*

128. Cum igitur in Missa pontificia non seruetur voluntas

K luntas



## DISPUTATIO CONTRA

iuntas instituentis hoc Sacramentum Christi : qui coenam suam, non Deo offerri in sacrificium propiciatorium sed ab Ecclesia, in Sacramentum accipi, comedi & bibi in sui commemorationem voluit: Ideo secundum Bonaventuram & Gabrielem, in Missa, corpus & sanguis Christi non habentur, sed vulgaris tantum panis & vinum. Nō ergō ego hæc ex istis colligens & concludens insulsus sum Lutheranus, vt me Esauita vocat: Sed oleati, chrismati, vncti, rasi, sacrifices sunt sacrilegi, execrata sua Missa, qua Christi coenam in sacrificium verè propiciatorium, vt blasphemant, transmutantes, perphanant, sacrificiumq; eius in cruce semel peractum (quantum quidem in ipsis) annihilant, suisq; ficto Missæ suæ sacrificio hominibus, in eo panem & vinum loco corporis & sanguinis Christi ostentant, illudentes Deoq; Patri obtrudunt. Sicut & ab initio statim Canonis in Missa, nuda Elementa panis & vini, antequam consecrent, Deo patri offerunt pro viuis & defunctis. Sic enim incipit Canon: Te igitur clementissime Pater per Iesum Christum filium tuum, Dominum nostrum supplices rogamus & petimus, vti accepta habeas & benedicas, hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia libata: In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica &c. Memento Domine famulorum famularumq; tuarum N. & N. Et omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisq; omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ &c. Hæc omnia de pane & vino nondum consecratis, sacrifici



MISSAM PONTIFICIAM.

ſiculi dicunt, offerentes ea, quæ certè nec ſacrificium ſunt, nec Sacramentum, etiam iſtorum ſententiæ: ſed panis tantùm & vinum, poſtea demum per conſecrationem tranſubſtantiata offerenda. Quod verò aiunt, eo more dici ſacrificia, quo rem inſtantiem & proximam, quaſi præſentem nominamus, nihil efficiunt: cum verba & res manifeſta in contrarium ſunt. Quod hæc dona, quæ panis tantùm ſunt & vinum, vtpote nondum conſecrata, offerimus inquit tibi, vel qui offerunt, pro ſe ſuis omnibus, pro redemptione animarum ſuarum &c. Sed argumentum hoc eſt, quod ſupra monuimus, & iſti vltro fatentur, canonem, centonem eſſe à plurimis pontificibus malè conſutum.

129. Et conſecratio ipſa coenæ Dominicæ, non magica eſt incantatio, ad quam opus ſit certo hominum ordine, ad hoc peculiariter certis quibusdam cæremonijs, oleo & chrismate, caractere indelebili, vncto & conſecrato, vt corruptis verbis & mutilata æ mutata Chriſti verborum forma, certo Aharonico variarum veſtium habitu, & panoplîa: Corpus & ſanguinem Chriſti ex pane & vino mirabiliter in ea tranſformet. Sed quia recitata & expoſita Dei ordinatione per Eccleſiæ Miniſtrum, panis & vinum, huic Sacramenti vſui ſacro deſtinantur, vt ſint veri corporis & ſanguinis Chriſti præſentis Sacramenta, vna cum ſignoverè exhibentia, quod ſonant verba.

130. Sicut nec Ouidiana Metamorphoſis, ſive vt iſti loquuntur, tranſubſtantiatio panis in corpus, vini in ſanguinem, vt annihilatis ſubſtantia panis & vini, accidentia tantum remaneant. Hoc enim pugnat cum Apoſtoli

K ij ſtoli



## DISPUTATIO CONTRA

1. Cor. 10 17.

Spongia numero  
66. & sequent.  
Theodoret. Dia.August. sermone  
ad Neophytos.

stoli verbis manifestis, qui disertè etiam in ipsa actione panem aliquoties & vinum appellat. Sicut & erudita antiquitas sensit & scripsit, cuius alibi collegimus testimonia plura: Hic vnum aut alterum addere libuit. Theodoretus sic scribit: Qui enim naturale corpus suum frumentum, & panem vocauit, atque ita seipsum vitem nominauit, idem ipse etiam quæ videntur symbola, corporis & sanguinis sui appellatione honorauit: NON E QVIDEM NATVRAM IPSAM TRANSMVTANS, sed adijciens gratiam naturæ. Et iterum ibidem: Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. MANENT IN PRIORI SVA SVBSTANTIA, & figura, & forma, & videntur & tangi possunt, sicut & prius. Et D. Augustinus: Hoc accipite IN PANE, quod pependit in cruce, & hoc accipite IN CALICE, quod effusum est de Christi latere. Epiphanius. Et quidem PANIS cibus sed IN PANE est efficacia ad viuificationem.

## THEATRICÆ, ET HISTRIONICÆ

MISSÆ PONTIFICIÆ DESCRIPTIO, EX

Sleidani libro 21. sub initium anni 1550.

Ingens autem erat hominum concursus (Argentina cum sub Interim prima celebraretur Missa) maximè iuuentutis. Nam his omnibus, nouum erat spectaculum, & inauditum: Multos ibi, raso vertice, nouo genere vestitus, cantare simul, quæ nemo intelligat. Careos atque lapides ardere in ipsa, quod dicitur, meridie, fumigationes, atque suffitus excitari thuribulis, sacrificum astratum cum ministris ad aram, pronuciare omnia sermone per regni



MISSAM PONTIPITIAM.

regino, varijs vti genculationibus atq; gestibus, incli-  
nari strictis manibus, modo distendere, modo reducere  
brachia, subinde sese conuertere, nunc esse clamosum,  
nunc magno silentio quædam demurmurare, suspicere  
in altum, esse pronum, consistere non vno loco, nunc in  
dextram, nunc in leuam partem altaris comigrare, mica-  
re digitis, inhalare in calicem, eumq; tollere in sublime,  
postea reponere, certis locis nominare, nunc viuos, nunc  
mortuos, panem azymum frangere, & in calicem immit-  
tere, pectus ferire pugno, suspirare, clausis oculis repræ-  
sentare somnum, rursus expergisci, manducare partem  
vnam panis, alteram haurire cum vino totam, ne qua gut-  
tula remaneat, abluere manus, patellam deauratam, auer-  
sum, extenso brachio, demonstrare populo, admouere e-  
andem fronti, atq; pectori, deosculari nunc al-  
tare, nunc imagunculam, materiæ, vel  
metallo inclusam &c,

*Omissio hic: panem  
magice in Deum  
transformatum,  
deinde eleuatum  
spectatoribus ad-  
orandum mon-  
strare.*

FINIS.






T V B I N G A E,




*Excudebat Alexander Hockius.*  
Anno 1579.












critz  
criti

q ri  
can  
patu  
abitu  
ope  
elle  
m a


ora  
ola  
pha

ad  
ra b















2764

Th  
956